NAZ.
III
X

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXIX
D
68
NAPOLI

Patri Latini

~~Scanz. 24 Num. 10 [illegible]~~

Scantia M. num 3. libro 9 [illegible]

I. AVG. TH.

ΙΕΡΑΚΟϹΟΦΙΟΝ,

SIVE

de re Accipitraria, libri III.

BIBLIOTHEC. CAPVCCINORVM. CONCEPTIONIS. NEAPOLIS +
BIB. NOV

DE RE ACCIPITRARIA

LIBER PRIMVS.

AErias acies, & aperto Marte cruenta
Aucupia, aligerumque artes ac prælia mille,
Magnanimũ heroũ noſtro oblectamina ſeclo,
Quis cultus, quæ cura illis adhibenda tuendis:
Nunc canere eſt animus. vos o ſeu cæca morantur,
Parnaſsi nemora, & manantia fontibus antra;
Seu Pimplæ colleis, aut Pindi aprica tenetis
Culmina, Pierides, tanto adſpirate labori:
Ignotoque prius nobis decurrere campo
Fas ſit, & vnde ſibi velauit tempora nemo
Hactenus, hinc per vos liceat decerpere laurum.
Vos contemplari iuuet alta e rupe vaganteis
Alituum per inane globos, miluumque rapacem
(Virgineus neq. enim prohibet pudor) æthere ſummo
Pendentem, & pennas ſinuantem ventre ſupino,
Ardeolamque imo roſtri mucrone minantem.
Hæc olim ſtudia inter nos, arteſque vigebant;
Hoc ſe olim campo, hac ſe exercere palæſtra
Heroes noſtri ſoliti, diſcordibus armis
Cum procul, & ſecura agerent in pace, nec vllus
Vicino belli metus impenderet ab hoſte.
Ingenium his ſimplex, longoque aſſueta labori

Corpora, & adſiduo durati Marte lacerti:
Præterea in victu ſplendor frugalis; & auro
Si bibitur, ſi picta domus laquearia rident,
Ordine digeſtas ſi celſa palatia turreis
Oſtentant: at gemmæ abſunt, & inertia rubri
Dona maris, rigiduſque adamas, virideſq. ſmaragdi,
Raptus & Eöa pretioſo vulnere teſta
Humor, & exiguum glacie concretus in orbem;
Certanteſque topaſi auro, fuluique hyacinthi:
Et quicquid graciles ad nos huc mittitis Indi.
Tu vero, ſi forte vacat, ſi feruida Martis
Cura ſinit, ſi te tanti ſub pondere belli
Erexiſſe leuis potes ad ſpectacula pugnæ,
Auſpicijs dignare tuis audacia cepta,
Aeternoque nouum prætexe decore volumen.
Haud aliam noſtris Cirrham FRANCISCE, *Camœnis*
Optarim. ſat erit, tua me ſi numine dextro
Maieſtas, ſanctique adflauerit aura fauoris.
Tempus erit, quo, ſi præſens modo fauerit orſis
Muſa meis, maiore tuba tua dicere geſta
Adgrediar, Belgaſque nihil te rege timenteis,
Sed nondum imbelles pollenti robore nerui
Firmati, magnos nondum explorata per vſus
Membra, tibi ſat habent tenui proludere pugna.
Tu dea, quæ ſaltus celebras campoſque virenteis,
Adſis o Diana; tuus iam contrahit arcum,
Et cæli obliquos curſus faſtidit Apollo.
Hæc quoque debetur tibi pars; nemora alta relinque,
Et ſtrophio ſuccincta, grauem cape diua pharetram,

Meque per aërias curru fer in æthera nubeis.
Non ego humi pronas doceo nunc figere telis,
Aut dumis agitare feras: hoc primitus olim
Centauros penes inuentum fuit, ebria cum ſe
Turba, vna & Lapithæ, cæcis conuallibus, inter
Vmbroſos Pholoës ſaltus, cum murmure magno,
Præcipiti effudere fuga, ſubitoque fragore
Excitæ tremuere feræ, curſuque citato
Spelæa, & tutas nemorum petiere latebras;
Illi inſectari contra, & vibrare ſagittas,
Hoſteis eſſe rati: caſu hoc increbuit vſus
Venandi; hinc cepere feris indicere bellum.
Primus inire pedes ſaltus ac luſtra ferarum
Auſus erat Perſeus: dominum mox Cyllarus acer
Intulit in ſiluas: ouo prognatus eodem
Inſtituit primum cane cingere luſtra ſagaci:
Oenides Meleager, & Iäſis inclyta virgo
Per ſaltus quondam obliti patriæque domuſque,
Omnia vaſtantem, & tota Calydone tremendum
Confecere ambo ſtudiis certantibus aprum.
Reſpuit illecebras, & blandimenta nouercæ
Occulta Hippolytus metatus retia fraude;
Nocturnoſque dolos princeps inuenit Orion.
Hæc, & quæ veniens hinc plurima repperit ætas,
Iam memorata aliis, mitto, & terreſtria linquo:
Ignotaque via, penituſque per aëra pernix
Inſolito rapior niſu. vos ſubdite pennas
Aëriæ volucreis; tuque o Iouis armiger ales
Remigio audaces alarum dirige curſus.

Accipitrum genus haud vnum, nam nomine nos heic
Accipitrum, ſpecies auium complectimur omneis,
Quæcumque ex rapto viuunt ſub luce vagantes,
Exſuctoque auidæ paſcuntur ſanguine, quæque
Vſibus humanis exacta adſueſcere cura
Paulatim, dominumque vocantem agnoſcere diſcunt:
Falconum hoc adeo validum genus, & Buteonum
Siue Triorcharum cenſemus in ordine gentem:
Quique Hierax vulgo eſt, & quos ignara vetuſtas
Venatus hodierni, Aquilarum in claſſe reponit.
Hunc ergo in numerum venient & Regius ales,
Et memores ſeruans iras Halliæetus, olim
Purpureo Niſus nequicquam crine decorus:
Roboreque ingenti Leporaria: viribus illa
Quod valeat, grauibuſque inhiet temeraria prædis,
Valeriam dixere: hinc eſt & Pumilus ipſo
Falconum e genere, & Fringuillæ ab nomine dictus
Accipiter, maiorque illo Germanicus Aſtur.
At quibus haud vllo feritas innata labore
Miteſcit, nullumque admittunt pectora cultum,
His locus haud nunc eſt: ſerie numerantur in iſta
Phaſſophonique mares, patulis & Miluius alis,
(Quanquam etiam is cultu interdũ manſueſcat & arte)
Et longinqua legens pugnæ veſtigia Vultur.
Nec magis æterni fugiunt qui lumina Solis
Prædones noſtro veniunt nunc ore canendi:
Vt ferale querens ſera ſub nocte Cymindis,
Perniciemque ferens morſu Caprimulgus acuto,
Auritaque Vlulæ, & fuſcis Glaucopides alis;

Quæ prædas noctu faciunt, atque vnguibus vncis
Imbelleis auium lacerant immaniter artus.
Nec confuſa negem accipitrum diſcrimina (namq. hoc
Ingenue fateamur, amat Polyhymnia verum)
Vix vt cuique horum certo ſua nomina conſtent:
Sed doctrinæ ergo liceat confingere nobis,
Rebus & incertis certum præfigere nomen:
Ignotaſque adeo Graijs æque atque Latinis
Exornare artes Graio Latioque lepore.
Primus ego ingredior campũ hunc; hoc puluere primum
Circum auſus crudos inducere brachia cæſtus:
Sit locus vt veniæ, ſi per loca lubrica quando
Pes titubat, dubioque labant veſtigia greſſu.
Nunc alius nobis dicendi naſcitur ordo.
Namque pugillares alij, pugnumque magiſtri
Protinus emiſſi repetunt, prædamque relinquunt.
Aſt alij tenueis ſimul emittuntur in auras,
Vix tandem redeunt, licet & reuocentur herili
Voce, & vibrato plumatilis indice loris
Siue quod illorum mitis natura ſequaxque,
Imperijſque ſui docilis parere magiſtri
Obſequio gaudet; ſiue eſt forte inſitus illis
Contemplandi hominis tacita virtute cupido.
His contra indociles ſenſus parere iubenti,
Et prædæ ſpes ſola animum mentemque perurit:
Quin etiam adtactus blandos pinnarius odit
Ales, & obtutus humanos ferre grauatur.
Iam ſubit inter eos aliud diſcrimen; in altum
Contendunt alij, ac recto tranſuerſa volatu

Nubila perrumpunt, prædamque ſub æthere raptam
Inuadunt, pedibuſque & roſtro comminus vrgent.
Deijcere aſt alius, terræque adfligere prædam
Depreſſam ſatagit: pugno ſimul aufugit alter,
Inuolat in miſeras, exporrectoque volatu
Conſequitur volucreis, & lancinat vngue cruento.
Rurſus & iſte alio fertur per inane volatu,
Et prædatur aueis: non ille anfractibus altum
Adtollit ſe ſe varijs, crebroque rotatu;
Sed comes it canibus, quos accipitrarius vſu
Edocuit, dumoſa inter vepreta latenteis
Cogere aueis, totoque agere in ſublimia campo:
Intentiſque oculis auium loca feta tuetur
Impatiens prædo, catuliſque ſuperuolat ipſis.
Imprimis cuiuſque ætatis nomina diſce.
Ignauus vulgo e nido atque implumis habetur,
Vnde etiam nomen: ſed cum incunabula liquit,
Nec dum audet campis ſe ſe committere apertis,
Aut altum petere, & vacuas volitare per auras,
Tunc ramalis erit. qui nondum exegit at annum
Integrum, primas & adhuc fert tergore plumas,
Hornus is eſt, plumiſque trahit cognomen ab hornis.
Anniculi at pennas æſtiuo tempore ponunt,
Sufficiuntque nouas ſemper voluentibus annis.
Haud ſecus atque pares poſtquam noctiſque dieque
Libra horas minuens æquato examine fecit;
Cum gelida in ſiluas Aquilo glacialis ab Arcto
Fertur, & aduerſis miſcet vaga prœlia Cauris,
Arboribus decus omne perit, nudataque honore
Marent

Mærent arua ſuo, & viduantur frondibus orni:
Conuerſo donec vector Nepheleïus anno
Arboribuſq. nouas frondes, nouum & addat honorem,
Et viridi ſiluas campoſque coronet amictu.
Quod vero mirere, mares & femina vincit
In genere hoc, animiſque & forma, & robore præſtat:
Atque adeo cum treis fetu enitatur eodem
Prædones generoſa parens, mas vltimus imo
Deſpectus lecto iacet, appellatur & inde
Tertius: & dubites exemplo hoc credere doctus
Agmina lunatis rapidum prope Thermodontem
Concurriſſe olim peltis, mediaſque virorum
Per ſtrages feciſſe viam; cum tela rotaret
Pentheſilea furens tanti dux femina belli?
Hippolyte aut magno quondam congreſſa virago
Alcidæ, cælato auro cui balteus ingens
Cingebat læuam mordaci dente papillam?
Ingenio nam quid vel robore femina poßit,
Teſtis Achæmenio metuenda Semiramis arcu;
Teſtis Edeſſenæ tantis ſpectata periclis
Zenobiæ virtus: vireis pæne illa minaſque,
Pæne ſupercilium Romani contudit orbis:
Tentyraq. & Solimæ palmoſa cacumina Idumes
Sæpe Quirinales, vt erant tunc tempora, lauri,
Sæpe illa Eoas in nos ducente phalanges
Martius imbellem expauit Tiberinus Orontem.
Credite Amyclæas lucta certaſſe puellas,
(Certa fides facti) & membris per mutua nexis
Sæpe verecunda corpus nudaſſe palæſtra:

Cumque viris ſexum virtute æquante virilem
Taygeti iuga per bacchanteis iſſe Lacænas.
Credite, femineas etiam vrit gloria mentes,
Et deſiderium pulcræ per vulnera palmæ.
Verum age, & accipitrum, quos ars venatibus aptos,
Et potior natura hominum ſollertia fecit,
Muſa refer ſpecies, tribue & ſua nomina cuique.
Ab Ioue principium. namque omni ex gente volucrum
Sola Aquila immunis cæleſti à fulmine durat.
Inde etiam Iouis armigeram finxere poëtæ.
Illa animis reliquas & maieſtate verenda
Tam vincit, quam vel petulantem pardalis hircum,
Aut orygas damaſque Hyrcanis tigris in oris;
Gætuluſue leo capreas ceruoſque fugaces.
Nec tremor hic viuis ſolum, & ſtringentibus auras
Alitibus; remanent etiam poſt fata prioris,
Confeſſique metus veſtigia: quippe Aquilarum
Pennæ, etiam exſangui iaceant ſi à corpore vulſæ,
Admixtas alias ſecum rapiuntque feruntque.
Nec magis id mirum, quam quod nunc pignore certo
Experti credunt: ouis vt ſi ex pelle lupique
Tympana bina pares, ac noſtro ad prœlia ritu
Diſtendas pulſeſque ſimul; reſonante lupino,
Haud ſecus ac ſi inſtet ſpirans lupus, & premat agnum
Spirantem, penitus corium obmuteſcet ouillum,
Et pulſata ſonum trepidabit reddere pellis.
Verum Aquilas inter (ſpecies neq. enim vnica earum)
Præcipua eſt, fuluo ducit quæ nomen ab auro:
Illa breui fulta eſt crure, exertiſque ſuperba

Vnguibus incumbit: ſed adunco prominet ore
Roſtrum ingens, patuliſque è naribus ignis anhelat:
In cæcos abeunt tum lumina torua receſſus,
Et ferrugineo veſtitur corpus amictu:
Caudaque præcipites curto temone volatus,
Sed robuſta, regit, clauùmque in puppe gubernat.
Optima & ipſa æquans animis ingentibus illam,
Corporis inferior quamuis ſit mole, nec vngue,
Aut roſtro tantum valeat digitiſue: ſed ortus
Non mentita ſuos, animiue oblita virilis
Accipitres collata nothos facit. hanc quoque noſtri
Valeriam dicunt, Graij Melanaëton, atrum
Quod referat roſtro pennis atque vngue colorem.
Optima & in genere hoc, rutilis cui tergora plumis
Sublucent, ruſſoque intermicat ala colore.
Præterea candor criſta ſi ſurgat eburna,
Et medios tractu ſinuoſo diuidat armos,
Hoc roburque animumque notat: manſueſcet & illa
Arte mea, dominique ad clamorem eriget aureis.
Quinetiam celerem roſtro pedibuſque recuruis
Exturbabit agens leporem, factoque periclo
Tollet humi raptam librato pondere prædam.
Nec non lucifugas meles, vulpeſque doloſas
Adpetet, & timidos roſtro defiget onagros,
Cum canibus raptam partita ſagacibus eſcam.
Hoc ſtudio Hæmonij circumſonat aula tyranni.
Tercentum illi equites, quotiens venabula poſcit,
Tot pedites adſunt: longo nemus omne remugit
Latrantum occurſu, venatorumque repulſis

Vocibus. heic gemini, neque enim ſatis eſſe ferendo
Vnus tanto oneri poßit, cedente petauro
Circum aquilam geſtant: aliam totidem inde miniſtri
Impoſitam ſubeunt: quarum minor illa volucri
Ore, canum voces fingit, nemora auia complens
Terrore ingenti: latebris tum excita repente
Infelix fera prorumpit: ruit altera demum
Sublimis compar magno ſtridore per auras;
Inuolat inque oculos, & prouolat, atque capaces
Expandens per inane ſinus, caligine denſa,
Horribilique ſuperuolitans cælum obruit vmbra.
Nec minor interea abſiſtit: ſublimis vt illa,
Hæc humilis ſic terga volans premit, & latus vrget:
Neue gradum referat retro, & veſtigia vertat,
Seu caprea, aut ceruus ſe ſe tulit obuius illis,
Roſtro atq. vngue minax vetat, & cum compare vireis
Alternat ſocias, artemque remunerat arte.
Nec mora, nec requies: furijs exterrita tantis
Donec in inſidias cæca conualle locatas
Præcipitet rabidis fera mox lanianda moloßis.
Tantum humana poteſt induſtria. rarus at ille,
Ac nullo venatus in his regionibus vſu.
Ardua difficiliſque, ac ſummi plena pericli
Res quippe eſt, aquilæ indomitos compeſcere motus,
Naturamque ferocem adeo frenare domando.
Dein grauitas immanis obeſt; & pondus iniquum
Haud quaquam ſufferre vnus queat; adde quod illa
Interdum, liquido dum ventilat aëre pennas,
Concipit ingenteis captiua mente furores,

Oráque ſolliciti nunquam temeranda magiſtri
Vngue venenato roſtroque inuadit acuto;
In libertatem ſe ſe adſeruiſſe priorem
Dum cupit, & dulceis vitæ reminiſcitur ortus.
Nec facile admittit ſocias, atque vnguibus vncis
In conſanguineos, præda perſæpe relicta,
Accipitres ruit, & cognato ſanguine gaudet.
Quanquam hoc tum demum multi contingere credunt,
Cum ſuſpenſa videt pedibus volitare per auras
Lora procul: nam tum prædam rata, protinus ardet,
Hoſtileiſque exercet inexorabilis iras:
Montibus haud alias tantum natalibus vnquam
Admiſſura nefas, vbi libertate fouetur,
Nullaque ſeruitij veſtigia, nulla vbi lora
Nectuntur pedibus domini referentia nomen.
Implumeis pullos ideo, a nidoque recenteis
Corripiunt, captoſque domant, ac lege coërcent.
Sic ſenſim captiua adoleſcit maſcula virtus,
Naturamque ſuam cultu dediſcit & arte.
Ni faciant, tenueis ſimul emittetur in auras
Regia auis, Zephyroſque leueis captabit ouanti
Gutture, clamantem dominum fruſtraque monentem
Deſerat, inque Notos procul errabunda recedat.
Nunc alia accipitrum genera inſpiciamus & ortus.
Haud vnum rapidis nomen Falconibus vſus,
Aut ſors attribuit. Peregrinus namque vocatur,
Cuius in ambiguo cunabula, cuius & ortus
Hactenus ignorant æque omnes, quoue ſub axe
Aedificet nidum, quibus aut ſtabuletur in oris

Ille ſed Eoo dum pergit ab orbe quotannis,
Et medium terras inter præteruolat æquor,
Sextili exacto capitur, captuſque domatur;
Inde Peregrini nomen. quacunque volando
Sublimis fertur, ſemper peregrinus & hoſpes,
Qua ſubit Oceanum, quaque exit Phœbus, habetur,
Incerti quia natales. Rhodos excipit illum,
Aut Cyprus, aut altrix ſummi Iouis inclyta Crete:
Inde huc aducitur. magnum caput, ardua ceruix,
Depreſſus vertex: hinc candida linea vtrumque
Per tempus tranſuerſa coit, patulumque coronat
Culmen, & in ramos plureis ceruice reflexa
Tandem abit, artifici præcingens colla catena.
Immane haud ita corpus; at illi longaque coxa,
Subtileſque alæ, breuia illi crura, breuiſque
Cauda per aduerſum celeres regit aëra niſus.
Cæruleo roſtro eſt, & acumine prominet oris,
Cruraque cyaneo pallent infecta colore,
Interdum & ruſſo flaueſcunt oblita fuco.
Quod reliquum eſt, compago illi procera, patenſque
Pectus, & alarum oblongis latera obſita fulcris.
Iſta Peregrini ſed erunt certiſſima ſigna;
Depreſſus capitis vertex, oblongaque toto
Corpore pennarum ſeries, pallentia crura,
Et graciles digiti ac ſparſi, nareſque rotundæ.
Sunt quibus & furuo nigreſcunt terga colore
E genere hoc: vertex ſed enim depreſſus, & vngues
Arrecti, ac macri digiti, ſubflauaque crura.
Quinetiam ex ipſo poteris dignoſcere niſu:

Nam recta ætherias elatus tendit in auras,
Immotoque volans ſublimus pondere fertur,
Oblongis quoniam & ſpatioſis nititur alis.
Iamque Peregrino ſuccedit nomine dictus
Montanus. mole exigua hic, fuſcumque colorem
Tergo humeriſq. refert: caput huic teres atque rotundum,
Et nigris tegitur plumis, cineriſque colorem
Summus apex præfert: hebes at roſtrum, articulique
Carnoſique, breueſque, huic & palearia crebris
Interfuſa notis, infectaque crura colore
Cyaneo. oblongas ſed non huic addidit alas,
Quas, Peregrine, tibi natura: interque volandum
Sæpius inde illas iterato impellere motu
Cogitur, & ſumma adnixus vi tendit in altum.
Cum vero exuuias, anno labente, priores
More ſuo poſuit, nareis tum luteus ambit
Circulus atque oculos: magis ex hoc, pectore deinceps
Albeſcit, magis & nigreſcit corpore toto,
Et magis atque magis, veteres quo ſæpius alas
Exuit, & veneto per terga colore renidet:
Quoque Peregrini toto mage corpore formam
Ille refert, tanto pretij maioris habetur.
Verum hornus melior: nondum maturus ad vſum
Aucupij ramalis erit: ſine creſcat, & ante,
Quam primo pennas recidiuas exuat anno;
Libertate frui liceat, cæloque patenti.
Ille frequens Benearni oris, paßimque Pyrenes
Clauſtra per & montes, atque horrida teſqua frutetis,
Quaque Bigerronum medios Tarbellicus agros

Inter ſaxa ſonans Atirus ſecat, auctior & iam
Tot fluuiis, longo ſinuoſum tramite curſum
Tendit, & oſtriferam prono lauit amne Lapurdam.
Ille etiam Allobrogum montes, Alpemque niuoſam
Accolit, Heluetiis ſurgit qua proxima, & inde,
Perpetuo Auſoniam dorſo qua diuidit errans,
Siluoſi iuga celſa ſuperuolat Apennini.
Ex ambobus & eſt Peregrino atque alite cretus
Montano, quem tu Fugitiuum dicere poſsis.
Is quia commiſto de ſemine naſcitur horum,
Naturam ſumit formamque ab vtroque parente:
Sed quo plus Peregrini ad formam accedit, habetur
Hoc melior, magis atque in noſtros vtilis vſus.
Eſt & Rhipæi qui dum fugit aſpera cæli
Frigora, & aduerſum præceps deſcendit in Auſtrum,
Spumoſus Libycas qua Bagrada ſulcat arenas,
Fraude intercipitur, captuſque adſueſcit haberi:
Nomen & huic Scythico: ſiquidem brumalibus oris
Nidificat, gelidiſque fouet regionibus oua,
Atque Parætoniam fugiens petit inde Cyrenen.
Ille Peregrino haud diſpar, ſed cruribus altis
Nititur adſurgens, falcatiſque vnguibus horret,
Cetera perſimilis: teneras ruffeſcit at alas
Subter: & hic animis valet, adſueſcetque magiſtro,
Seu campo, ſeu forte lacu ſpectacula poſcas.
Montibus ille frequens Curetum, hoc Cypria pubes
Vtitur: hoc Rhodij nuper, dum fata ſinebant:
Sed nunc verſa retro fortuna: en omnia vaſtus
Horror habet, ſqualentque abductis arua colonis.

At nos interea qui nobis eſſe videmur
Felices magnique, & ab omni parte beati,
Ignaui ſpectatores tardique ſedemus;
Communemque hoſtem patimur proferre quotannis
Vlterius regni fineis, atque addere partis,
Tuque adeo rerum cui nunc Hiſpane potiri
Fortuna tribuente datum eſt, quid cæcus in horas
Vlteriora petis? Melitæ, viden, imminet hoſtis,
Et Siculas claſſe ingenti quatit improbus arces.
Quid Luſitanos flammis ferroque fatigas,
Impiaque ex damnis alienis commoda captas?
Quin potius, Feſſam inuiſam, regemque Marochi
(Si pudor eſt) contra, victrices verte phalanges,
Atque repoſce pio meritas de ſanguine pœnas.
Et tu qui impatiens alienæ Teuto quietis,
Otia qui quondam ſolitus mercede paciſci,
Nunc etiam noſtros popularis milite campos
Aſsiduus prædo, tandem moueare tuorum
Cladibus, & reflecte oculos: en Pannonis ora
Defenſoris eget longe poſt terga relicta.
Quid cauponato vicinos Marte laceſsis,
Iniuſſuſque moues inter nos arbiter vrnam?
Te quoque & in partem culpæ nunc Galle vocarem,
Protracto ni iam per bina decennia bello
Stratus humi attritis opibus miſerande iaceres.
Tu tamen inuicta pertendis mente; ſed illi
Haud vnquam armorum ſatis eſt, bellique cruenti,
Cui virtus ſua pro pœna eſt; iam parce querellis
Muſa, agimur fatis miſeri, nec numine noſtro.

Sæpe loco eſt etiam Peregrini & Nobilis ales:
Sed pedibus rubris, maculato pectore, roſtro
Subrutilo differt, ad cetera pæne gemellus;
Optimus à nido ille recens: namque vngue minaci,
Et roſtro defiget aueis quaſcunque per agros,
Quæque errant vdo per ſtagna virentia muſco:
Immaneiſque grues, quas nunquam viderit ante,
(Dulcia inexpertis adeo tironibus arma)
Ille etiam audaci temerarius adpetet ira.
Quodque aliis plerunque adimit, ſub lege ſeuera
Atque hominum ad nutus actum in penetralibus æuum,
Huic animos addet: maiora pericula adibit
Manſuetus, ſumetque animos à voce magiſtri.
Nec paruo in pretio, aut vilis cenſetur apud nos,
Degenerem ob formam, qui vulgo Ignobilis audit.
Nam ſiquidem aut animis non eſt, aut viribus impar;
Sed formæ vitium ingenita virtute rependat,
Optimus is, prædæque inſano feruet amore,
Emiſſuſque alios longe poſt terga relinquet.
Heſperiis longe melior ſed habetur in oris,
Atque Lycaoniæ ſubiectus partibus Vrſæ:
Eois ſecus, atque vbi Sol torrentior vrit.
Rurſus & ad formam Peregrini accedit, & omni
Parte fere ſimilis, dubium facit inter vtrunque
Diſcrimen, fallitque artus perſæpe magiſtros
Teutonicus: fuſco niſi quod mage terga colore
Nigreſcunt, niſi quod plus inter cauda volandum
Porrigitur, crebriſque notantur pectora guttis,
Introrſumque albent coxæ, proceraque colla

Complectens niueo ſubſtringit fibula nexu.
Ille animis morſuque valet, dominumque vocantem
Audiet. Hercyniis, Vogeſique in ſaltibus altus
Nidificat, pulloſque fouet: nidoque petitus
Illinc, aut tereti irretitus colla ſagena
Aduehitur, Peregrini olim laturus honores.
Nunc Lanij mores, vſum, formamque docebo:
Hic verna eſt nobis, vbi fercula inempta parare
Nobilium menſis, atque exercere culinam
Dicitur: inde etiam ab laniena eſt indita origo
Nominis. ille altum rapido ſecat æthera niſu
Sublimis, rectuſque columnæ attollitur inſtar,
Immotoque volat prope corpore, lumina voluens
Huc illuc; ſeu forte canis, caſuſue latentem
Euehat improuiſus auem; ruit ille repente
Vngue ferox, roſtroque minax, & pectore toto
In prædam effuſus, morſu deſæuit acuto.
Accidit & perſæpe, ſed hoc ante omnia cauti
Hoc prohibete nefas, quibus hæc ſunt gaudia curæ,
Concordeiſque animos ciuili arcete duello,
Vt geminos ſi quando emiſeris, accipitrumque
Dum minor inſequitur, ruat auxiliarius alter,
Cautaque auis catulos, Laniumque fefellerit ipſum:
Tum vero ille ira frendens, & inultus abire
Dedecore accepto impatiens, ſocialia vertit
In ſocium arma ferox, prædaque inuadit omiſſa.
Vtque etiam ex ipſa poßis cognoſcere forma;
Huic capitis flauus color eſt, & pectoris æque:
Vermiculis niſi quod tinctus ferrugine Ibera

Spargitur: at depreſſus apex, oculique nigrantes,
Proiectique tument: anguſtis naribus auras
Ducit, & incuruo atque hebeti ferit obuia roſtro.
Oblonga alarum ſeries, promiſſaque cauda;
Cæleſtemque trahit roſtro, articuliſque colorem:
Cætera perſimilis Peregrino; verum vbi pennas
Tempore præſcripto poſuit, color ille faceſſit,
Cæruleique loco croceus ſubit; heic quoque rerum
Admirare vices, ſuccedentumque colorum
Indicio, diſce alternis mortalia verti
Omnia momentis, mutataque ſede moueri,
Atque alia rurſus forma vultuque redire.
Nec non & maculæ pennis cedentibus, omni
Parte renaſcuntur, modo per tranſuerſa nigrantes,
Inque aliis auri pretioſa luce refulgent.
At veteres (mirum) fugiunt de corpore toto,
Succreſcuntque nouæ coxis, humerique ſuperne
Inducunt venetum, fugiente priore, colorem.
Sunt etiam queis pura albedine terga renident,
Vnicus & toto color eſt in corpore candor.
Montibus Alpinis, aut per iuga Pyrenæa
Naſci credibile eſt; niuis adſiduoque perennis
Intuitu fieri, mater dum concipit ardens,
Vt pulli teneris albeſcant vndique pennis.
Nam licet informi remanent incluſa vitello
Semina prolifica concepti in mente coloris.
Illi etiam reliquos animis & robore vincunt
Manſueſcuntque omnes facile, adſueſcuntque labori.
Ex iſto & genere eſt Haliæetus: ille vadoſas

Litoris vndiſoni, qua pollet luce, lacunas
Improbus obſeruat: placidum ſi forte per æquor
Ludere limoſa piſcem deprendat in alga:
Tum ſe librato demittit corpore præceps,
Pectoreque atque alis, neque in hoc ſollertia deſit,
Deſuper incumbens cedenteis diſcutit vndas,
Et volucris medio venatur in æquore piſcem.
Ille etiam memor offenſæ veteriſque ruinæ
(Qua Megara Actæi quondam munita labore
Alcathoi cecidit, conuulſa ab ſedibus imis;
Dictæis nunquam Megara expugnanda carinis,
Si non fatalem furiali percita aſilo
Scylla recidiſſet patrio de vertice crinem)
Infeſtis animis Cirim premit: illa parentis
Conſpectum irati fugiens ſecat aëra pennis,
Et ſero errorem accuſat, pactoſque Hymenæos
Perfidiæ in pœnas iniuſtum experta maritum.
Santonicos colit ille lacus, & litora noſtri
Obſidet Oceani; vitreas qua gurgite vaſto
In mare voluis aquas ſalicetis conſite denſis,
Ac paſſim crebris diſtincte Carantone terris.
Qua Thetis æquorei fauces ſpumoſa Garumnæ
Intrat, & aduerſas ſubeundo dimouet vndas:
Qua circumducto temone Medullicus Ancon
Flectitur, & placidum claudit mare, qua patet ingens
Tractus arenarum, & viridanti ſubere opaci
Litora præcingunt luci; qua pinea ſilua
Turaque reſinamque exſudat ſaucia olentem,
Et medico piceos opulentat munere Boios.

Forma eadem huic Lanioq.eadem eſt, atq. inter vtrumq.
Obſcurum diſcrimen; habet quo quiſque marinus,
Vel Lanius dici poſsit: quin ſæpe periti
Ambiguo peccant decepti lumina vultu:
Et, niſi diuerſo paſtu gauderet vterque,
Sæpe repertores artis turpiſsimus error
Argueret. nam ſi porrecto hinc piſce marinum
Falconem ad paſtum inuites, Lanioque ſubinde
Ponatur gallina, trahet ſua quemque voluptas,
Et propriam ſibi vterque auidus prædabitur eſcam.
Eſt & Tuniſea nomen qui ducit ab vrbe;
(Barbarici caput hæc regni) teres atque rotundum,
Et magnum caput huic: porrectis cruribus altus
Inſiſtit; Lanio minor eſt ſed corpore toto.
Hoc Itali vtuntur Lanij vice: plurimus Afris,
Aucupioque frequens ſeruit. valet ille volatu,
Haud habili quamuis niſu ſe tollat in altum:
Sæpe loco & Lanij capitur maris: atque adeo eius
Mas nullo in numero, penituſque ignauus habetur.
Nicæam hic circum, Ligurumque immania ſaxa,
Maſsiliam, Iulique forum vetus, Antipolimque,
Et Corcyræis certanteis Stœchadas hortis,
Vere nouo fluctus Libycos emenſus oberrat:
Quaque potens Arelate ſequacibus alluit vndis,
Auerſuſque caua Rhodanus petit æquora foſſa.
Nunc Hierax nobis tandem dicendus, adunco
Terribilis roſtro: Peregrino hic maior, & armos
Immaneis inter caput erigit, atque nigrantem
(Plancus vti) huc illuc aciem rotat: ardua ceruix,

Depreſſus vertex: ſqualent deformia terga,
Et rigidis ſimiles horrent haſtilibus alæ.
Corporis erecta huic ſpecies neruoſaque crura,
Proiectum roſtrum, color & cæleſtis vtriſque.
Huius, vt & Peregrini, incertus proditur ortus:
Litora at Aegæi circum, pelagoque iacenteis
Cycladas, euantem Naxon, paruamque Seriphon,
Et niueam Paron, & ditem Peparethon oliuæ,
Errantemque olim Ortygiam, viridemque Donyſam,
Huc illuc volitans capitur Septembribus horis.
Minoaque adeo Creta, Cyproque quotannis
Claſſe importatur multa mercede redemptus,
Noſtrorumque hominum magno oblectamine venit.
Heic etiam crebro mos eſt ipſius in vſu:
Manſueſcit facile is cultura ac iuſſa capeſcit;
Excitamque lacu prædam inſectatur in auras,
Campeſtremque gruem, nec non genus omne volantum.
Eſt & magnanima Falconum è gente Triorches
Seu Buteo: optimus hic & formoſiſſimus ales
Accipitrum in genere, atque animis, & robore præſtat.
Cum vero Autumni veteres ſub tempore primum
Exuuias poſuit, tum corpore pulcrior omni
Tollit ouans caput, atque erecta fronte ſuperbit
Torua tuens, patuliſque exſpirat naribus ignem.
Cæruleus roſtro color eſt, atque vnguibus æque;
Et notulis paſſim pectus diſtinguitur atris.
Ille ad Hyperboreum prædas agit improbus axem,
Sauromatumque vltra fineis, extremaque Thules
Litora; fœcundos hominum volucrumque receptus,

Vaginamque olim mundi; diſtrictus in omnem
Europen vnde, & Libyen, Aſiamque potentem
Fatalis mucro populoſas ciuibus vrbes
Hauſit, & ipſum adeo ſtrauit tot cædibus orbem.
Hinc dum ad nos niuium, & cæli pertæſus iniqui
Tendit, oloriferumque Albim, celeremque Viſurgim,
Danubiumque ſuperuolitat, Rhenumque bicornem,
Excipitur laqueis, magnoque heic captus habetur
In pretio. hunc Reges menſa dignantur amica,
Et tractare manu gaudent, & vòce canora
Indociles mulcere animos, inuictaque corda:
Aſt illi tacitam pertentant gaudia mentem
Interea: ponunt furiales pectoris æſtus,
Et cedit feritas patienti victa labore.
Nil non audebit, nil non tentabit, vbi auras
Captare ætherias domino emittente licebit,
Aſpice, non, quo more alij, ſtridentibus alis
Subuehitur, crebroſque alternat in aëre gyros:
Sed recto incedens graditur per inane volatu
Arduus, & magni conſcendit ſidera cæli;
Vt vero nubes inter caput extulit altas,
Præcipiti raptus lapſu ruit, & furit ardens,
Subiectamque oculis prædam deturbat ab alto:
Illa ſed horrificum penna trepidante latronem
Expulſu alarum agnoſcens, fugit ocyus Euro,
Obliquatque latus, non auſa obuertere roſtrum,
Aut contra certare, aut curſum inhibere fugacem.
Extremo memorande loco nunc Pumile niſu
Labere præcipiti, celebri ſiue Aeſalo notus
Nomine,

Nomine, ſeu Circus mauis, Percnuſue vocari.
Aeſalo ſis aliis, Circuſque, ac denique Percnus,
Tu mihi Pumilus es; nec iam indignare minorum
Falconum in numero poni: ſuus heic quoque paruis
Conſtat honos, maiorque adſurgit ſæpe minori.
Tu vireis aliorum æquas audacibus actu,
Ingenteiſque animos anguſto in pectore verſas.
Nec vero implumeis temere, à nidoque recenteis
Ordine in hoc videas. ignoto quippe ſub axe
Nidificant, cunaſque ſtruunt procul orbe remoto.
Forma ad Falconem accedit: ſed mole puſilla,
Vertice depreſſo, ſpatioſo pectore, latis
Compactiſque humeris, & obeſo lumina collo
Pronus humi figit: porrecta huic cauda, breueſque
Alarum pennæ: graciles patulique colore
Infecti croceo digiti, prælongaque crura.
Vt vero primum iuuenili tegmine corpus
Nudatur: tum ſummus apex, tum terga ſuperne
Cæruleo ſparſim fucata colore renident.
Pumilus eſt: tamen & titulos & nomina pæne
Vni cuncta ſibi Falconum mutua ſumit.
Et quiſque, vt cuiuſque adſumit nomen, & eius
Ore refert, totaque fere compagine formam.
Pumilus ille quidem eſt; ſed non & maxima paruus
Prœlia detrectat. nam perdices, merulaſque,
Atque coturnices, ſturnos quoque comminus vrget.
Maiores etiam nec inutilis illius inter
Eſt opera accipitres: namque in ſublime rotatus
Circum audax prædam ludis, morſuque laceſſens

Cogit inacceſſas oculis tranſcendere nubeis,
Primus & ingentem medio ciet aëre pugnam.
Hactenus accipitrum, quos accipitrarius olim
Laruata ſimulacra ſequi non vana rapinæ
Porrecto docuit ſcapo, atque audire vocantem,
Diuerſas ſpecies, ſeriemque euoluimus omnem.
Nunc Fringuilla, is nobis dicendus, & Aſtur.
Hos non ſpes prædæ reuocat, nec auara cupido
Emiſſos, ſed amor deſideriumque magiſtri
Dulce trahit, reduces ac pugno denique ſiſtit.
Hic Fringuillarum nomen ſortitus ab eſu,
Arguto capite, atque alis per terga reflexis
Gibboſos facili amplexu ſtringentibus armos,
Compacta forma erigitur, robuſtaque crura
Oſtentat, patuloſque pedes, proiectaque colla:
Tum nigra obſcuros abeuntia lumina in orbeis
Torua luce micant: nigrantibus vndique pennis,
Aut ferrugineo corpus veſtitur amictu.
Optimus is, ciceris cui granum innaſcitur atri,
Qua praſinus curuo proiectum diuidit arcu
Torquis, & à reliquo roſtrum diſcriminat ore.
Optimus & calamis cui cauda horreſcit acutis,
Biſſeniſque ſuper pennis adnaſcitur vna,
Interdum & binæ: nec non & pondere magno
Penditur. Illyriæ captus ſub montibus altis
Aucupio aptus erit: vel qui Nabathæa relinquens
Regna procul, Solis verſus contendit abortum,
Heſperiumque petit pelagus, Gadeiſque remotas.
Sunt &, quos Caralis, quos Cyrnus, & Africa mittit,

In pretio. his homines vulgo, lateque per omnem
Auſoniam vtuntur; ſed noſtro creber in vſu
Teutonicus; tranſuerſa illi per tergora plumæ,
Et rutilo ſplendent auro: generoſior ales
Haud alter ſe illo temere ferat: inde ſuperbi
Illius indomitique animi frangantur vt olim,
Artis egent, cultuſque, indefeſſique laboris.
Degeneres calidis naſci regionibus, vſu
Compertum eſt: contra generoſa & viuida corda
Dat cæli rigor, & Boreali vita ſub axe.
Inde procul dubio, nec ſpes eſt vana, petitus
Aucupij pulcro feret in certamine palmam.
Nec non emiſſus pugili reuocante magiſtro
Cum præda incumbens generoſam expleuerit iram,
Sæuieritque vngui ſatis, & ſatis ore, redibit
Aſtur: in Armeniæ luſtris, gelidique Niphatæ
Dumoſos inter ſcopulos, & inhoſpita teſqua,
Vltra etiam mediam gemina inter flumina terram,
Et citius telo properantis Tigridis amnem,
Optimus aucupio, & noſtros aptandus in vſus
Naſcitur: anguſto ſed formam vulturis ore
Exprimat; arguto capite, & ceruice ſuperbus
Proiecta, ardenteis ſpatioſum voluat in orbem
Huc illuc oculos, ciliiſque obſcurus inumbret:
Os quoque promineat: nigricans tum lingua palato
Ludat, & incurui claudatur acumine roſtri.
Optimus Epiri ſub montibus, optimus Aſtur
Illyrico, Iulique foro, Venetiſque petitus.
Optimus &, qui ad nos brumalibus aduolat oris;

Omnia vbi concreta gelu canaque pruina
Semper, & ambiguo per bella Boryſthene Moſchi
Sauromatæque ruunt. crura illi erecta, patenſque
Pectus, & implicitos digiti curuantur in hamos.
Optimus Hercynia in ſylua quoque naſcitur, & qua
Pandit inacceſſos Bacenis opaca receſſus,
Aſtur: & argutum caput huic proiectaque ceruix,
Et ferrugineis velantur tergora plumis.
Verum hornus melior, vel qui iam corpore pennas
Exuerit ſemel; at ramalis degener vſque
Plangit, & inſanis clangoribus ilia rumpit.
Vtque etiam poßis animos cuiuſque futuros
Indiciis certis dignoſcere, pauca monenti
Adde animum. luce in media, & ſplendore diei
Conſtitue accipitrem ad Solem, clauſiſque feneſtris
Mox radios auerte oculis, atque eripe lucem:
Nec mora, ſublato incautum clamore repente
Tange latus: tum ſi impauidus contra erigat alas,
Exultetque toris, pugnumque inſcendat herilem;
Impiger ad prædam hic, animiſque & viribus audax
Stagna per & campos volucreis terrebit apertos.
Illum etiam è multis, nec te fiducia fallet,
Elige, proluuiem nitens qui eiectat in altum
Præ reliquis, ſummique ferit tectoria muri.
Roboris hoc ſiquidem eſt, animique ad cuncta parati
Argumentum ingens. noſtro quoque creber in vſu
Mas illius; & in genere hoc non femina maior;
Quanquam animis niſuque mares & robore vincat.
Ignota hæc priſcis quondam, at nunc trita frequenti

Et longo explorata vſu, aſsiduoque labore
Accipitrum genera, atque ortus, variantiaque ora,
Hac dixiſſe tenus ſat erit: ſed non capit omneis
Hos anguſta domus, congeſtum aut ſtramine culmen,
Nec Buteonem humiles paſcunt impune penates.
Magnates hæc cura adeo, & damnoſa voluptas,
Immenſique decent ſumptus, regeſque ſuperbos.
Talia Callirhoë ſpectacula præbuit olim
Auſpiciis, Franciſce, tuis: cum ruris honorum
Diues, inexhauſto manaret copia cornu.
Talia Germani fanum, dum ſceptra tenebat
Erricus; cum nulla domi ſibi bella crearet
Tutus ab externo, niſi forte laceſſeret, hoſte
Gallus, & in patris laudes ſuccederet heres.
Cænomanos his ſe ſe inter generoſa iuuentus
Exercet ſtudiis: placido qua Mella volutus
Flumine, qua Sebina rigat pater Ollius arua.
Quaque Tridentinas Atheſis diſcriminat Alpeis
Deuexum Eridani properans ſe mergere in amnem.
Fetaque belligeris qua ciuibus, vbere pingui
Suſpicit Euganeos humilis Vicetia montes.
Vitiferum qua Pauſilipum Sebete perenni
Fonte lauis, magno quondam dilecte Maroni:
Quaque exit, rurſuſque in ſe redit, omine læuo
Heu toties noſtris tentata Neapolis armis.
Aemulus & regum has pugnas, genus ipſe potentum
Heroum, & late vicinæ regulus oræ
Cantilia nuper mærens ſpectabat ab arce,
Et medias inter turbas patriæque tumultus,

Vtcunque hæc ægra ſolatia mente trahebat,
Galliæ amor Franciſcus, & huius maxima ſæcli
Gloria, deliciæque breues. ô, quis mihi vocem
In laudes lacrimaſque dabit deus? ô, tua digno
Quis merita in patriam dicet, quis funera verſu?
An patris inuicti memorem decora alta, & opima
Tot ſpolia, exuuiaſque cruento ex hoſte relatas,
Partaque tot patriæ, vel in ipſa morte, tropæa?
Magna ducis tanti circumſonat vndique fama,
Multa viri virtus, multa obuerſatur imago:
Nulla tamen potiora ſui monumenta reliquit
Emeritus pater, & patriis iam debitus aſtris,
(Hunc Phocæa licet celebri prouincia tollat
Laude, Metiſque ſuis nunc tandem reddita Francis
Exultet, Rheni faſces exoſa ſuperbos)
Quam quod te demum, Franciſce, ſuperſtite vitam
Exuit, & patrios fœdauit ſanguine campos.
Ergo, patre elato, in te omnes lumina Galli
Conijcere, atque omnes votis communibus vnum
Poſcere, qui veteres rerum ſarcire ruinas,
Viribus atque oneri integri ſuccedere poſſet.
Nec dum animo exciderat, quanta virtute rebelleis
(Vix tum prima genas veſtibat flore iuuenta)
Frenaſſes furias Tiberini ad fluminis vndam
Pro patribus ſtans purpureis & gente togata:
Cum te Roma ſuo in gremio complexa ſinuque,
Perge, ait, auſpiciis tantis, atque omine tanto
Macte animi iuuenis, virtus quo te tua ducit.
Certa manet cælo merces. tu fortis & æquus,

Fors quæcunque feret, tantum perferre memento:
Annoſum genitor ſub pellibus exiget æuum;
Tam longæua neant vtinam tibi ſtamina Parcæ.
Dixerat, & tacito preſſit ſub corde dolorem.
Hinc Morini excipiunt. nec primo fracta periclo
Subſtitit heic virtus: quamuis iam cardine lapſo
Res inclinarent noſtræ, fatiſque ſiniſtris
Protinus arderet ciuili Gallia bello.
Ergo ſors cuneos agit, incautumque repente
In te vipereum viroſa calumnia dentem
Exacuit; tu contra animis furiale paternis
Victor agis monſtrum, domita inuidiaque triumphas:
Rumoreſque hominum, & ſtulti quod opinio vulgi
Finxerat, & penetrans facile obtrectatio in aureis,
Diluis, & vita tot crimina teſte refutas.
Tu patriæ ſiquidem adflictæ, dum vita manebat,
Certa ſalus, columenque domus ingentis, in vno
Soſpite te modo florentis: quæ nunc quoque & vna
Te labente caput pronum demittit, vti flos
Purpureus, qui Sole adoleſcens nuper amico
Cæſariem Zephyri arbitrio iactabat olentem:
At nunc ecce rota languet contuſus aratri,
Virginis aut tenero carptus defloruit vngui.
Sic erepte iaces nobis, ſic tempore læuo
Ante diem nos deſtituis, terramque relinquis:
Militiæque vna tecum iacet vſus, & omneis
Armorum priſcas exorta licentia leges
Suſtulit: exultat nunc libertate nefanda,
Inſultatque duci calo, mileſque tribuno.

Iamque lues etiam hæc paullatim ſerpit eundo
Nobilium gliſcens animis. hæc ſola laborum
Præmia, virtutis nimirum hæc vnica merces,
Graſſari & prædas agere, atque impune vagari.
Quinetiam eximiæ pacis, queis viuimus, artes,
Fœderaque oblita, & neglecta arcana regendi
Imperij, ritus aboleti, regiaque ipſa
Maieſtas deſueta coli, legumque minuta
Relligio, & ſparſis opibus conuulſa poteſtas.
Nec non aucupium, Dianaque maſcula ſordet;
Aucupium inuentum cæli, diuumque hominumque
Grande oblectamen, parua quod imagine pugnæ
Admiranda refert magni ſpectacula belli.
Tot clades, tot damna vna, tot funera morte
Accepta, vnius tot diruta Pergama fato.
Te vero exſtinctum vitreis fleuere ſub vndis
Naiades, tenuitque errantem Sequana curſum
Turbidus, & latis ſtagnauit Matrona campis:
Et totis ripis Franciſcum voce cientes
Auditi, atque iterum atque iterum, Franciſce, vocantes.
Sol quoque nube caua vultus obduxit amœnos,
Obſcuraque polus condi ferrugine viſus.
Ipſa ſuam triſtis Diana inuidit Olympo
Nocte illa lucem: quamuis inuecta quadrigis
Fraternos plenis hauriret cornibus igneis.
Te Dryades fleuere deæ; ſed pectore vulnus
Preßit atrox, omneis inter mæſtiſſima Clio,
Atque ait, heu quot ſpes miſeræ in te amiſimus vno!
Quæ laudum fecunda ſeges, quæ gratia noſtris

Carminibus periit, quæ, quantaque ſama poëtis!
Morte tua excuſsis foliis & Palladis arbos
Aruit, & fratris Phœbi Parnaſia laurus.
Ipſa etiam tecum ad ſuperos Aſtræa receſsit,
Et pudor, & pietas. quid nos heic ſacra moramur
Turba, deæ? manibus ter circum lilia plenus,
(Vos ſaltem hoc animam iuuet accumulaſſe merentis
Munere) ter circum luſtraleis ſpargite lymphas:
Et tumulum ſtruite, & tumulo ſuperaddite carmen.
Vltimus Hectoridum pietate inſignis & armis
Franciſcus iacet hoc, quo Gallia & ipſa, ſepulcro.

E

DE RE ACCIPITRARIA
LIBER II.

TE quoque & accipitrum ætates, moreſque docebo,
Naturæ priſcis arcana incognita ſæclis:
Tum quo quiſque cibo paſci, qua debeat arte
Curari, & nullo exuuias poſuiſſe periclo:
Qua lege aucupio adſueſcat, dominique vocantis
Porrectum repetat pugnum, aut plumatile textum
Vibratum agnoſcat, nutuſque obſeruet herileis.
Nec non paulatim excurrens, quis cultus habendis
Sit canibus (quando accipitres comitantur & illi,
Excitamque lacu prædam campiſque ſagaces
Exagitant, ſociantque animos & fœdera iungunt,
Falconeſque ipſi agnoſcunt, & parcere diſcunt)
Expediam, ingenteiſque ſuo referam ordine pugnas:
Si modo per montes quæ me, lucoſque ſonanteis,
Tranſque Padi ripas, & Iapidis arua Timaui,
Et Rhenum, atque Albim, flumenque binominis Iſtri,
Palmiferum trans Euphratem, Nilumque ſecuta eſt,
Muſa ſinat, tantis nec Cynthius abnuat orſis.
Tu quoque ſiluarum, quæſo, ne Delia cuſtos
Latonæ genus incepto ne abſiſte labori.

Nulli audita prius, non vlli dicta Camœna
Adgredior: tu diua faue, vatemque per alta
Nubila vadentem cæli rege lumine claro.
Tuque adeo FRANCISCE *ades, atque hanc aſpice partem:*
Et paullum a grauibus libeat requieſcere curis.
Sat tibi pro patria, pro libertate laboris
Exhauſti ſatis atque ſuper; nam quæ hoſpita tellus,
Quæ mundi plaga tam ſemota, quis angulus expers
Nominis & famæ, benefactorumque tuorum?
Quaque Atlas vaſtos pelagi metitur hiatus;
Quaque coloratis oriens Sol exit ab Indis,
Eoaſque domos Arabum, Maurumque relabens
Aſpicit Oceanum, bellis exercita virtus
Nota tua eſt, totumque volat vulgata per orbem.
Ergo age, & ignotos fluctus ſulcante carina
Da facilem curſum, atque adſpira lenibus auris.
Principio haud eadem eſt cunctis, nec conuenit ætas,
Optimus e nido tener, implumiſque petitus
E cunis; rabie cui feruida corda, & amaro
Felle tument, animi indomiti cui ſemper, & annis
Augetur gliſcens ſenſim accedentibus ira.
Impatiens ille imperij iuga mitia collo
Deijciet, vix & precibus reuocabitur vllis,
A teneris niſi conſueſcat, feritatis & olim
Immemor ingenitæ, diſcat parere iubenti,
Naturamque aliam humana ſuperinduat arte.
At quibus haud effrenis & implacabilis eſt mens,
Ramales potius capiantur; vbi ire per altum

Depulſi a matre incipient, nidumque relinquent,
Cum nec dum ſe audent plenis adtollere velis,
Sed timidi ramis errant, aut arbore ſidunt.
Sic elati animis paullatim & robore creſcent
Liberiore aura freti cæloque patenti.
Et magna quod vix cura adſiduoque labore
Adſequerere, dabit natura potentior arte,
Vt prima euadant incommoda multa tenellæ
Aetatis, modicoque ferocia tempore alatur.
Aſt hornus reliquos inter laudatior exit:
Qui nondum anniculus, primas qui corpore nondum
Exuerit plumas: ſed qui incunabula liquit
Iam dudum, & ramis timidus non amplius errat.
Ille animis cunctos integro & robore vincet,
Si modo culturæ patienteis præbeat aureis,
Nec libertatem nolit dediſcere amicam.
Verum vbi iam plumas anno vertente priores
Exuerit, tum forma magis, tum robur, & ardens
Vis animi creſcit magis, atque augetur in horas.
Optarim potius ſed clauſtra domeſtica vt inter
Priuataſque ædeis horno iam maior, & olim
Optimus aucupio, & magnos aptandus in vſus
Exuuias ponat. ſiquidem formoſior ille,
Roboreque atque animis præſtantior, æthere prima
Qui vacuo liber ſpolia exuit: at male iuſſa
Accipiet domini, at vocem indignatus herilem
Sæpe dabit ventis clamoſi vota magiſtri
Portanda, & ſurda reuocantem negliget aure.
Ergo age, & vt genera accipitrũ variantia & ortus,

Sic quoque te, quondam ne decipiaris emendo,
Cuiuſque ætatis certiſsima ſigna docebo.
Si poſitis nouus exuuiis cum pulcrior ales
Attollit pugno ſe ſe, penniſque coruſcat,
Relliquiæ ſpoliorum, exuti & nuper amictus
Terga per, extremam & caudam monumenta ſuperſint;
Ille ſemel teneras poſuit, non amplius, alas.
Contemplator item, tuberculus hæreat ima
Si nare illibatus, vt adſolet: aſpice crura,
Si ſcabris & adhuc horreſcant aſpera rugis,
Bis tantum iuuenilem ales mutauit amictum.
Attritu ſed enim crebro ſi forte reuulſa
Iam verrucula erit penitus, ſi leuia crura
Exeſis rugis tactu experiare fideli,
Ille, ter exutis ſpoliis, quartum integer annum
Ingreditur: rurſus ſi nare caruncula ſumma
Succreſcat, veterique olim adnaſcatur adeſæ,
Rurſus & horreſcant rigidis crura aſpera ſquammis,
Ille quater plumas rediuiuus & amplius egit.
Denique Falconum in genere hæc certiſsima ſigna
Aetatis prouectæ, inclinantiſque ſenectæ:
Albeſcens guttur, nullis crura aſpera rugis,
Naris & attritus longo tuberculus vſu.
At Fringuillari quo pectore, & Aſturis, olim
Rareſcunt maculæ magis & tenuantur ab auo,
Hoc magis ad ſenium vergit confectus vterque.
Iamque domi longa numeroſa examina ludunt
Prædonum ſerie, reſonant iam cuncta fragore,
Tinnituque æris, ferit aurea ſidera clangor.

Interea victus ratio tibi ſumma tenenda:
Necnon pro vario mutandus tempore paſtus,
Cum valet, aut panda collum ceruice remittit
Accipiter, cum membra laborem, aut otia poſcunt.
Non tamen accipitri quæque adponenda cibando
Delectu nullo: ſunt quas prohibere decebit,
Rurſus quas adhibere interdum ad pabula carnes
Expediat. tu carne agni, hæduleique petulci
Accipitrem ſatura, nigroque fluentia tabo
Porrice membra auido, & fumantia corda calore.
Optima campeſtris leporis caro, proderit vſu
Obſcuris gaudens habitare cuniculus antris.
Villoſam tu tantum auido ne porrige prædam,
Neue etiam cerebellum, admordeat ore caueto,
Oſſaue confringat roſtro; nam certa ſequetur
Pernicies; lumbricus edax per viſcera ſerpet
Continuo, caput aut tentabit lenta grauedo.
At contra murem villoſum adponere quondam
Proderet accipitri: caput alleuat illius eſus,
Et ſtomachum firmat, bilis quoque temperat æſtus.
Nec dubites etiam languentem carne canina
Paſcere: natiuum hæc fouet, accenditque calorem.
Vulpinæ aſt eſu, multo turgeſcet obeſus,
Qui modo erat gracilis, ſucco, multaque ſagina.
Optima & inter aueis, quamuis non obuia vbique,
Ardea ſtellaris, cuique oblita terga colore
Cyaneo pallent, minio vel tincta rubeſcunt.
In numerum hunc etiam veniunt & Colchicus ales,
Et fringuilla vorax, criſtaque inſignis alauda,

Cuique vuis veſci ſolitæ dat nomina ficus.
Nec non infirmo calidam appoſuiſſe columbam
Vtile erit, merulamque, & obeſo abdomine turdum;
Perdicemque, coturnicemque, hornumque palumbem.
At ſpiſsi carnes ſucci prohibere memento,
Vt bouis, atque hebetis porci, feliſque, lupique.
Quin & ouillæ etiam diuturno noxius vſu
Paſtus erit, nec non vitulinæ, atque anſeris albi.
Soluitur hinc cerebrum pituita, & frigidus, inſtar
Stillicidi, in ſtomachum atque oculos præceps fluit imber;
Pruritumque cient, macieque elumbia terga
Extenuant toto ſurgentes corpore vermes.
Tu quoque carniuori caueas ne ſe expleat eſu
Alitis accipiter. præſto eſt nam noxa, repente
Inſinuat ſe ſe ſucci viſcoſa maligni
Congeries, ſtomachumque lues exenterat atra.
At gallina boni ſucci eſt, vſuque frequenti
Obiicienda auido; ſed quæ non incubet ouis,
Aut pullos foueat: ſummum namque inde periclum
Imminet. in genere hoc & præſtantiſsimus vſus
Pullorum: longo accipiter ſeu forte labore
Defeſſus fuerit, defeſſo hinc ſuffice vireis,
Atque nouum robur paſtu adijce; ſiue dolore,
Aut morbo iaceat demiſsis languidus alis,
Haud alio melius purgabis noxia paſtu.
Rurſus & in genere hoc excellit femina, crebris
Vſurpanda cibis. ſed carni parce ſenili,
Diuerſoſque vna miſſus apponere cena
Sit tibi religio: ſtomacho nihil officit æque.

Hinc crudi humores, hinc viſcera tenſa laborant,
Occulto ſenſim ſerpente ſub ilia flatu.
Attamen & vario varius pro tempore paſtus
Adponendus erit. repetitæ nauſea namque
Sæpe dapis ſubit: aſt inritat ventris orexim
Eſca alia inque dies alia, & faſtidia pellit.
Cura ſit imprimis ne flamine edulia ab Auſtri
Puteſcant, olidumue ſaporem rancida ducant.
Tu mundam puro carnem ſuperingere diſco
Si potis eſt, & adhuc fumantem à cæde recenti.
Limpida nec deſit, iugique è fonte petita
Lympha recens, feriatque oculos ſitientis ahena
Pelue micans: etiam penetrantis lumina Solis
Anguſta excipiat rima, pinguiſque lucernæ
Sub noctem tremula laquearia luce coruſcent.
Haud alia magis exultat re Martius ales,
Paſcendumque inter ſæpe aut intingit in vndas
Ore cibum, tergetque frequens, aut ventilat alas,
Summaque pennarum vitreo faſtigia rore
Abluit, & prono lætus ſe corpore mittit
Multa fremens, caudaque ferox micat, ac tremit artus.
Hoc animaduertes etiam mirabile in illis,
Quod, dum vna æquales inter ſe pabula ſumunt,
Virtute inferior maiori cedat, & ante
Detrectet libare cibum, quam ſumpſerit alter
Viribus & forma atque animis præſtantior ales.
Hinc etiam augurium capiunt plerumque periti,
Explorantque animos: tacito nam conſcia ſenſu
Mens cuiuſque ſibi virtutis: tanta futuræ

Indolis

Indolis ingenita eſt reuerentia, tantus & olim
Senſus adulturæ teneris virtutis in annis.
Nec minus interea ſtudioſe incumbere debes,
Vt quemcumque habitum natura inſeuerit olim
Accipitri, hunc ſumma cura tuearis & arte.
Cannabe in hunc vſum ex vili, linoque turundas
Conijciunt prædonis in os, & ſtuppea fruſta,
Caryophylla quibus miſcentur, at ille voraci
Gutture hians ſorbet; nec deeſt tanta exitus arti.
Viſcoſis ſubito cerebrum fluit vndique riuis,
Pulmoneſque etiam vndantes manante cerebro
Exonerant ſe ſe in ſtuppam: bibula illa nocenteis
Haurit continuo humores, tumefactaque tandem
Egeritur ſtomacho varios infecta colores.
Quod ſi contingat, neque enim non accidet olim,
Obſtructo vt ſumptas non egerat ore turundas;
Tu pilulas ex ſucco aloes, caſiamque recentem,
Trita chelidonij vel fruſtula porrige trunci.
Eſt aliud genus & prædonibus vtile curæ,
Edurum vt calamum figant roſtro, atque refigant
Vſque magis, totoque obnixi corpore tendant.
Hoc niſu capitis grauitas moroſa leuatur,
Et pituitoſum egeritur de pectore gluten.
Nuſquam intermiſſo id ſtudio, cui talia curæ,
Impiger inque dies iteret: nihil adiuuat æque.
Ac ſi quando æger dulcem faſtidiet eſcam,
Aut caput in pectus demittet cernuus ales,
Ex aloë confectum adhibe purgamen amara
Pulegij tritum agglomerans ad pabula ſuccum,

Idque inteſtino gallinæ a morte recentis
Inſere, vel pulpis ad cenam inuolue paratis;
Ne tætrum indocilis guſtum præſentiat ales,
Auxilium & poſthac horreſcat, opemque recuſet.
Tunc quoque & effreni, ne ſæuiat, adde capiſtrum:
Ac ſimul in calidam pilulas demiſerit aluum,
Extemplo cura effetum ſupererige pugno
Terga manu blande attrectans. iuuat hoc quoque ſumme
Præſidium: labruſcæ acinos contunde, fragrantemque
Adde ſuper caſiam, fragilique a ſtirpe reuulſæ
Radicis truncum, quæ nomen ducit ab ipſo
Accipitre, & tenui reſolutam puluere miſce:
Alpinæ his laricis reſinam adiunge recentem,
Biſque in menſe adhibe: morborum haud certius vllo
Prima rudimenta, & ſerpens in viſcera virus
Præuertes apte ſumpto medicamine, & ante,
Infecto quam dira lues ſe corpore prodat,
Occultam extingues naſcendi in limine cauſſam.
Quod reliquũ eſt, tectis volucres ſtabulentur apricis,
In quæ Sol radios veniens immittat apertos,
Suppoſituſque vapor penetret ſub tempore brumæ.
Tunc quoque vel molli lana, pannoque petaurum,
Cui ſuperincumbunt volucres, munire memento;
Ne ligni vel duritia ſaxiue rigore
Intumeant crura, & ſegni torpore fatiſcant.
Nec poſtrema tui pars hæc numeranda laboris,
Vno quoque pares vt frigida balnea menſe
Accipitri, & viuæ tinguas aſpergine lymphæ:
Non illum maleſuada fames, aut acrius vrget

Venandi deſiderium, prædæque cupido.
Quippe vbi pura auido miſcentur pocula, & hauſtu
Expletur, ſtudio videas geſtire lauandi
Nequicquam circum, atque alas vibrare ſonanteis,
Proluere & pleno roſtrum pectuſque lauacro.
Ergo prius cupidum claras quam in luminis auras
Emittas, tu fontis aqua, tu flumine viuo
Merge caput, leueiſque alas, caudamque micantem:
Idque iterum atque iterum, coëat dum luna, retracta.
Igneus auxilio hoc viueſcit ſpiritus intus,
Sopitique vigent ſenſus, ſtudiumque lauandi
Vaneſcit, quo ſæpe ardens; vbi nubila cæli
Arduus ingreditur, fruſtra reuocante magiſtro
Erro vagus fertur, fonteſque remotaque longe
Flumina peruolitat, vetitiſque immergitur vndis.
Iamque aderit tempus, quo plumas exuat ales.
Heic adhibe ſollers animum; prohibere licebit
Hoc quoque, ſi libeat: ſed nec mora parua puſilli
Temporis in damno eſt, & habet victoria laudem,
Si tantum ſuperes cura ſtudioq̄ue peridum.
Nec te ſpes fallet: rediuiua namque iuuenta
Prædo ales caput attollet, tergumque ſuperbum,
Odryſium ſpirans oculiſque & pectore Martem.
Vt cum Sidonius ſurgens in cornua Taurus
Annum aperit, reſeratque ſolum, luditque per herbam
Molle pecus, ſimæque occurſant fronte capellæ:
Lubricus exuitur ſenio, pulcramque iuuentam
Induit, & longo ſinuoſa volumine terga
Gramina per ripaſque trahit, ſpiriſque volutus

Arduus ad Solem ſerpens micat ore trilingui.
Hanc feſtinato nunc exequar ordine partem:
Magnanimi quando exactam quoque pertinet illa
Ad curam accipitris: quamquam olim tardius æquo
Tiro iugum ſubeat, diſciplinæque ſeueras
Serius addiſcat leges, ſi forte moreris,
Dum deplumetur natu iam grandior ales.
Ergo age, rumpe moras, vbi Phœbo portitor Helles.
Soluet humum propiore calens, circumſpice ſollers,
Num valeat, num quaue mali contage laboret
Accipiter, numquid macie tenuatus acuta
Tabeſcat, lentoque piger mœrore fatiſcat.
Tum ſucco, quod obeſt, primum expurgare ſalubri
Cura ſit, & ſolido corpus diſtendere pingui.
Ante etiam lumbis, paſſimque animalia tætra
Pædore atque atra illuuie prognata reuelle.
Ni facias, ſcabiem accipitri feret improba peſtis,
Exhauſtiſque ægros depaſcet viribus artus.
His actis, humili abde loco, longeque repoſto,
Qua non audiri voces, non murmura poſſint,
Accipitrem; anguſto ſpectare foramine Solem
Vnde queat, paruaque auras captare feneſtra:
Clatrali aut include domo, aut ſupererige pugno
Adtrectans blande loris vincliſque ſolutum.
Heic feſta fronde, & fluuiali gnauus arena
Sterne ſolum, ne prædo ardens, dum corpora vibrat,
Puluere commoto pectus deturpet honeſtum,
Et teneris ſqualorem immundum contrahat alis.
Tunc quoque, ne crebro niſu diuerberet auras,

Adſiduus prohibe: turbata nempe quiete
Naturæ prohibetur opus. ſummum inde periclum
Imminet, opprobriumque magiſtro ac dedecus ingens,
Ni tanta ad finem perduxerit orſa ſecundum.
Hac alas propter reſecet, cui talia curæ,
Et pennas proprio ſignatas nomine carpat
Quamque ſuo, Latiis quas verbis dicere non eſt,
Succiſaſque notet titulis, & nomina cuique
Adſcribat: quo, ſi pennas vice Martius illa
Occulto vitio, aut caſu non proferat ales,
Ordine quamque ſuo poßit committere trunco,
Commiſſaſque nouo doceat coaleſcere nexu.
Nec non ad viuum præcidere forcipe adunca
Hamatos vnguis, exquiſitiſque cibare
Effetum corpus dapibus labor vnicus eſto.
Luce ſemel ſed paſce: ſemel, dum ſeptima in orbem
Itque reditque dies, ſalientia pocula miſce.
Nec prius hinc volucrem moueas, extraue ſub auras
Educas, licet & rediuiuis increpet alis;
Quam Methymnæum qui vexit Ariona Delphin
Occidat, & media coëat cum Virgine Phœbus.
Cum Lyra præcipitat, cælo cum Theſpius alto
Exoritur vector, Palamedeæque volucres
Infeſtis repetunt Pygmæa mapalia turmis.
Tumque obnube caput, viſa ne luce ſuperbus,
Impatienſque moræ nimio laſciuiat æſtu:
Tu cohibe ardorem, atque irarum comprime motus
Luxuriem minuens, ne pigra per otia demum
Collectus ſoluatur adeps, ſebumue liqueſcat.

Hinc ego qua porro cura, quibus artibus ales,
Quo ſtudio tandem noſtri formetur ad vſum
Aucupij, atque manum ferat, adſpectumque patroni;
Vt denſas cæli properet conſcendere nubes,
Porrecto aut humileis niſu glomerare volatus,
Carmine præſcribam: nec enim modus omnibus idem.
Exiguæ artis eget prædo pugilarus, & olim
Ad vocem ſat erit domini ſi commodet aureis,
Et pugno facili prædâ ſe ſiſtat omiſſa.
Sic Aſtur teneris, ſic Fringuillaris ab annis
Conclamandus erit, ſed eodem ad prælia Martis
Haud pinnarij amant cultu rituque doceri:
Seu campis prædabundi emittantur apertis,
Seu forte inſectentur aueis per flumina, perque
Stagna, & ſiluarum obſeſſas horrore paludes.
Primum opus, exceptum laqueis, tenuiſque ſagenæ
Deceptum furto, tepidis merſare ſub vndis,
Et pipere infuſo totum perducere corpus.
Sic viſco abſterſo, membriſque calore leuatis,
Accipiter madidus poſita feritate quieſcet.
Nec non ille tibi vigil, atque inſomnis habendus:
Nec prius alma quies artus ac languida membra
Irriget, aut dulci componat lumina ſomno:
Heſperium nouies quam pulueruIentus in æquor
Sol immittat equos, totiens quin roſcida linquat
Tithoni croceum ſurgens aurora cubile.
Haud alio magis auxilio Phœbeius ales
Manſueſcet; tu ſæpe caput nudare memento
Interea, & vigili rurſus ſæpe adde capiſtrum

Adſidua ſic ille manu, attactuque frequenti
Haud læue accipiet palpantis iuſſa magiſtri.
Tange iterum caput atque iterum: contra ille procaci
Si morſu roſtrum obuertat, rictuque minetur,
Subtrahe dextram auido, atque tenaces effuge morſus,
Inque locum blandæ ſuccedat virgula dextræ.
Adde etiam proprias voces, & mollia verba.
Quod ſi blanditiis innata ferocia nullis
Vincatur, cum rictu ales diducta minaci
Vertet roſtra ferox, aloës contra obiice fruſtum,
Aut allj tetri ſpicas, aut triſte ſinapi.
Sic admorſurum ingratus reuocabit amaror,
Et tandem memor a vitio abſterrebitur illo.
Tunc quoque, luce ferox nimia ne ſe efferet, atque
Pectore turbatus diuerberet aëra anhelo,
Ferrea acu cilia exili præſtringere filo,
Et premere adducta, & ſenſim coniungere verum eſt.
Res olim trita, aſt extremi plena pericli,
Nec temere aucupibus nunc vſurpanda peritis.
Cruribus hinc facili ſubnecte ligamina nexu
Caprino ex corio, aut ceruina ex pelle, iugatis
Indicibus binis, domini qui inſignia cari
Cælato argento referant, nomenque laremque;
Transfuga vti ſi olim Cauris portantibus ales
In loca diuerſa ex oculis ereptus agatur,
Agnoſci indicio poſſit, dominoque remitti.
Vix credas, paruo quam tempore longa locorum
Interualla volans ſuperet; quam multa peragret
Aequora ſpumoſas cælo attollentia nubes.

Mira canam, ſed certa fides, ac digna profectò,
Cuius apud ſeros conſtans ſit fama nepotes.
Villeriæ ad caſtrum, aucupio cum forte vacaret
Vrbis pertæſus Franciſcus, amor Muſarum,
Accidit, & non eſſe poteſt quin accidat olim,
Vnus vt e multis, quo non præſtantior alter
Et gyros glomerare, & circumflectere niſus,
Sublimeis vel aueis punctim detrudere ab alto,
Altius euectus deerrauerit, æthere ſudo
Dum pauidas ſequiturque grues, ventoſque ferenteis.
Omnia tentantur fruſtra: fugit ille per auras
Perfidus emanſor, rapidiſque per aëra pennis
Tormento properat, volucrique citatior Euro:
Et Tarteſiaco dum Sol lauit æquore crineis,
Rurſus & Eoa mortaleis lampade tingit,
Oceanum ſupra fertur, Tameſimque Britannum,
Londini & feſſus tandem ſuper adſtitit arce.
Proditus inde ſono, pretioſi muneris inſtar
Errico offertur. conſpecto ille alite lætus
Agnouitque notas, &, Sint hæc pignora noſtræ,
Dixit, amicitiæ: magnum hoc mihi fœderis omen:
Martius ecce ales belli paciſque ſequeſter
Aduolat, & dextro fœdus tantum omine firmat.
Transfuga ſic Falco captus, ſubitoque remiſſus
Lætitia excipitur magna; rex munere gaudens
Fuſca ſerenato diſcuſſit nubila vultu:
Continuoque locum exquirit, quo captus, & horam,
Atque diem, tempuſque fugæ coniungit, & alta
Singula mente putat momenta, & digerit horas.

Tunc

Tunc vero ſtupefacti animi, rex hæret & ipſe,
Et pariter cunctis ſubit admiratio mentem.
Imprimis, nimio ne pondere victa laborent
Crura, vide: butyro intus rigida illine lora,
Et corium ſubige, ac circum lenteſcat adhærens,
Attritoque femur ſubſtringat fibula nexu.
Interea facili ſuperanda ferocia cultu,
Et pectus palpare manu, tergumque iuuabit
Sæpius, & blandæ vocis grauitate ſonora
Effreneis mulcere animos, mentemque rebellem.
Vocibus ille etiam humanis adſueſcere diſcat,
Præbeat & facileis domini clamoribus aureis.
Tuque adeo immaneis ſpatioſo pectoris antro
Finge ſonos; qualeis vicinum reddere litus
Aſſolet, intento cum nauta celeumate portum
Prenſandum monet, & propiori adpellere terra.
Stentorea aut qualeis olim ſub imagine Iuno
(Si Colophoniaco fas quicquam credere Homero)
Edidit, & populos vocali terruit ore,
Cum pauidos iterum ad pugnam reuocauit Achiuos.
Hoc quoque & artis opus noſtræ, prolixa & acuta
Vox vt ſit, tandemque graui producta tenore
Deſinat, & longos iteret per inane boatus.
Ac prius ingluuiem calido quam ſanguine diri
Prædonis ſaties, tironem ſæpe canora
Voce voca, pugnumque auido prætende iugalem.
Ille fame, quam ferre nequit, ſtimulante ſequetur
Vſque recedentem & ſenſim veſtigia retro
Flectentem, ad nutus tandem adſuefactus herileis.

Sic pugno circumlatus, ſic ſæpe capiſtro
Detracto, ad vigilem ſtatuatur nocte lucernam.
Hoc autem imprimis caueat, cui talia curæ,
Ne pauor improuiſus agat, vel Panicus horror
Inſtabileis ſubeat mentes: vix poſt modo cura
Manſueſcent ſecuri vlla, non vocibus vllis
Fidere, non domini audebunt ſe credere pugno.
Proxima nunc cura eſt, lorum vt plumatile tiro
Vibratum agnoſcat; tenueis ita namque per auras
Si quando errabit, ſcapo hinc atque inde rotato,
Ad vocem properabit heri, prædamque relinquet,
Artificis prædæ ſpecie deceptus inani.
Ergo age, & anguſtis incluſum ſepibus horti,
Funiculo innexum claras in luminis auras
Nudato capite emitte, & verſatile torquens
Inlicium, ad prædam tironem clara tuentem
Magna voce voca: impatiens ſubito ille morarum
Inſiliet, pedibuſque premet ſimulacra recuruis.
Tu quoque tunc, nec ſit mora, pulpamenta voraci
Exquiſita para; blandæ quoque murmura vocis
Adde: memor tanti benefacti, elatus in altum
Tendet iter quotiens, plumatilis indice lori
Conſpecto, in pugnum præceps deſcendet herilem.
Huic benefacta animo, pariterque iniuria nunquam
Pectore decedit memori. ſin forte periclum
Detrectet primo, & nolit parere iubenti,
Non ideo deſponde animum, vel omitte laborem
Inceptum: nam quo ſtudij maioris egebit,
Viribus atque animus tanto præſtantior olim

Euadet, primoſque feret prædator honores.
Cuncta adeo docilis conando induſtria vincit.
Iamque tuos vrge ſucceſſus: nec mora, ſaxo
Conſtitue accipitrem in plano, flammantibus vnde
Omnia luminibus ferri per compita poſſit,
Atque ſuos ortus agnoſcere. rupibus altis,
Et prærupta inter cæloque minantia ſaxa,
Prædones, genus id, volucres cunabula figunt.
Hinc libertatis memores vitæque prioris
Vertice detecto ſimul educuntur in auras,
Sibila terrifico vibrant immania rictu,
Et pando obuertunt horrentia pectora tergo.
Tu contra inlicibus verbis obnixus & arte
Ter circum & totiens petram luſtrare memento,
Nunc frontem, nunc terga petens, ſcapumque rotatum
A tergo propere confertas proïce turbas
Inter, inexhauſtis clamoribus ilia rumpens.
Sic ſenſim adſueſcant magis ac magis ora tueri,
Et voces audire adſtantum, & ferre tumultus.
Quod ſi tum ad prædæ ſimulacrum interritus ales
Aduolet e ſaxo, atque ereptum lumine toruo
Veſtiget, rurſuſque repertum inuadat, & ardens
Protinus effuſo in prædam ſe corpore mittat,
Hinc iam te optatos iubeo ſperare triumphos.
Ergo vbi conſpicuum diffuſo lumine cælum,
Et, Zephyri ſi flabra ſinant, pacata quieſcent
Omnia, Falconem tu campo educe patenti,
Et pugno circum fer eques, qui fune remoto
Iam tuto emitti queat, emiſſuſque redire,

Illectus vana pellacis imagine prædæ:
Atque humileis prædas, primum pete, mox reuocatum
In pugnum accipitrem, ac ſcapo ſuper incumbentem
Dulci paſce cibo: neque tunc ſollertia deſit,
Semper vt aſſueſcat ſcapo magis, atque rapinam
Pennarum inlicio, ſpecie lactatus inani,
Poſt habeat, quotienſque elatus tendet in altum,
Indice conſpecto redeat, prædamque relinquat.
Sed tirocinium primum fortuna ſequatur,
Conceptaſque olim haud diſpar ſpes exitus æquet,
Ne flagrans animi vigor ille obtuſus hebeſcat,
Aut primo virtus ſuccumbat fracta labore:
Acceptam is ſiquidem feret ægra mente repulſam,
Conſcius & probri aut vacuas ſecedet in auras,
Aeternum aut mærens ignauos exiget annos.
Hoc ne contingat, ſi quando præda ruentis
Eludet morſum accipitris, falletque ſequentem,
Præ manibus ſemper tibi præda parabilis eſto,
Errantemque alta conclama voce, reuerſum
Scapo ſiſte ſuper: viſa ſubito ille ſuperbus
Spiranti perdice, ratus prædam, irruet ardens,
Collectiſque iras, rabidamque explebit orexim.
Hinc aliam atque aliam prædam pete: ſic tibi ſenſim
Maior commoditas, atque experientia maior:
Ipſe etiam melior Falco accedentibus annis
Adſueſcet magis, & maiora audebit in horas.
Si vero emiſſus quondam aut ſecedat in alta
Emanſor nemora, aut præter votum arbore ſidat,
Ille tibi ſæpe eſt ſcapo per inane rotato,

Clamoſiſque ſonis reuocandus, & illice præda.
His quoque ſi nec dum moueatur, & improbus artem
Negligat & dominum; ſedet, æternumque ſedebit
Ignauus: damnum ille tibi laturus & ingens
Dedecus, in vacuas ſine perfidus exulet auras.
Nec vero aucupij ſit cura nouiſsima, alendis
Vt canibus ſtudeas, cultuque atque arte regendis.
At non vna horum ſpecies. quibus hiſpida ſetis
Terga, quibus promiſſa altos coma verberat armos,
Barbaque villoſum in pectus propexa recumbit:
His, ſi quando vagas per ſtagna ſonantia anates
Perque lacus pulſabis agens, fulicaſue paluſtreis,
Vtere; non amnes rapidi, non flumina tardant,
Vndiuagique lacus; ardor quippe igneus illis.
Cæruleis prolem generoſam arceſſe Britannis,
Atque Caledonia, namque hinc gens optima, ſilua.
His genus adde aliud, quibus & ſunt hiſpida terga,
Villoſæ auriculæ, criſporum at torta pilorum,
Et breuior ſeries: at non propexaque barba,
Caligant ciliorum aut denſa lumina nube.
Quales Atuaticis vulgo naſcuntur in oris,
Vicinaſque vrbeis circum, qua Scaldis inundat,
Belgij honos, cælo Scaldis gratiſsimus amnis.
E genere hoc, ineunt & aquas altaſque paludes
Maiores denſis armati corpora villis.
Naribus aſt alij præſtant, roſtroque minores,
Campeſtreiſque agitant prædas, dumoſque peragrant,
Vltimus illorum eſt ordo, tenuis quibus errat
Et rarus per terga pilus: ſed candida tota

Mole ſuperficies, & crebris oblita ſignis,
Vermiculiſque nitet; non tot ſub nocte ſerena
Aſtra micant rutila late radiantia luce.
Plurima Aquitanis ad nos gens finibus exit
Venatrix: rigidæ his aures, & lumina quoſuis
Ad motus intenta, ſagax & naris acumen,
Vis & odora ingens: ſed quam piluliſque larignis,
Et melle infuſo, Pharijque aſpergine aceti
Proderit exacuiſſe, & agreſtis vi calaminthæ.
Imprimis catulos clauſtris & carcere frena:
Nec non, agnoſcant ſocios in prœlia vt olim
Accipitres, vna aucupio iam rite peracto
Paſcantur catuli: ſic adſuetudine longa,
Communiſque vſu menſæ, & clangore ſonoro,
Alitibus diſcent aliquando parcere amicis.
Quid memorem interea varios per inane volantum
Concurſus, magno quidue ictas pondere ruptis
Viſceribus crepuiſſe grues, miluumque ferocem
Verbere pennarum deiectum, & remige cauda,
Camporum medio ſpectanda duella theatro?
His ego narrandis, ſiquidem audax ſingula quæque
Perſequar, & caſus omneis expendere coner,
Deficiam, excedatque modum iuſtumque volumen,
Arte noua quod ſurgit, opus. non ſi mihi linguæ
Sint centum, centum ora ſonent, vox ferrea, pulmo
Aere rigens triplici, tam multa euoluere poßim,
Aut maieſtatem ſubiecti æquare canendo.
Ac veluti qui præcelſa ſpeculatur ab arce,
Aut Nili ad fauces, vmbræ expertemue Syenen,

Aut Cnidia adſpectat clara ſub nocte feneſtra
Ardenteis cælo flammas, Titaniaque aſtra:
Ille quidem varios ortus notat, interituſque
Stellarum, & validas humana in corpora vireis:
Non tamen ille potis numero comprendere certo,
Aut ratione putare, ac mente refigere cuncta,
Dædaleo natura poli quæ fornice fixit.
Haud aliter mihi nunc vſu venit. aſpice, pugno
Nam ſimul emiſſus Falco ruit, impete magno
Radit humum primo, ac ſua per veſtigia ſerpens
Ambages magnas petit & diuortia longa:
In gyros donec glomerato ſæpe volatu
Euehitur tandem niſu ſublimis in altum.
Sic vbi præcipiti commotus murmure turbo
Exoritur, campoſque rotans, ſegeteſque ſupinas
Verrit; maioreſque ſinus primo integrat, hinc ſe
Contracta in ſpatia, atque anguſtos colligit orbeis,
Puluerea nube inuoluens terramque polumque,
Fit late ſonitus, circum nemus omne remugit,
Sibilaque alternat rapidis ſingultibus aër;
Diffugiunt omnes campis, iuga ſoluit arator:
Ipſe ſuas ſub colle, aut ima valle recondit
Paſtor oueis: vulſæ interea ab radicibus imis
Fraxineæque trabes, & robora Dodonea
Per ſiluam immani ſe ſe effudere ruina.
Haud aliter ſubito Falco euolat, vndique apertis
Diſsiliunt campis volucres, nemorumque latebras
Attonitæ ſubeunt, & ramis obſita denſis
Luſtra petunt: latitant picæ, ſilet improba cornix,

Et late cælo pauor & tellure vagatur.
Atque ibi ſeu miluus, ſeu ſe tulit ardea contra,
Bellatore vno peragi tam magna nequit res.
Ipſe adeo ante omneis ludi ſcenæque choragus
Extra ſigna audax validum procurrit in hoſtem,
Et punctim cædit, morſuque laceſſit inani
Pumilus accipiter, donec caput æthere condat
Ardea: tum gemini paullum tellure morati
Falcones ſublime petunt, prædamque ſub altis
Nubibus inuadunt, roſtroque atque vngue fatigant.
Cernuus hic ſupra prono ſe corpore præceps
Mittit, ſubiectumque adlabens deijcit hoſtem;
Ille premit latera, & conanti feruidus inſtat
Nunc frontem, nunc terga petens; contracta ſed illa
Arrectos vngueis contra diſtringit, & alto
Suſtinet aëre ſe, atque occulta fraude ſub alas
Erecti mucronem oris clam cauta recondit.
Anxius interea clangenti voce magiſter,
A roſtro vt caueant, iterumque iterumque monere,
In latus obliqui aduerſum: at leporarius ima
Valle canis cælum defixa luce tuetur,
Impar dum pugnæ incaſſum luctata diuque
Ardea conſternata ruat: tum dente cruento
Corripit attonitam, roſtrumque in ſanguine mergit.
Iam ſi fert animus ſublimem euertere prædam
Aſturis auxilio, ſeu ſe ferus anſer apertis
Venanti præbebit agris, limoue paludis
Obruta anas vluas inter iūncoſque latebit;
Tu ſede in inſidiis tacitus, furtiuaque contra

Bella

Bella para; pedibuſque orbeis, crepitantiaque æra
Rapta manu preme, tum conſpecto errone propinquis
Abde caput latebris: demto tamen vnde capiſtro
Accipitri poßis ieiuno oſtendere prædam:
Mox Corybantæo Berecynthia cymbala ritu
In numerum pulſata moue, ac ſimul excitus anſer
Alta petet, vel linquet anas pauefacta paludem,
Prædonem ſuper emitte, emiſſumque ſonora
Voce rege: ille auidus prædam per inane ſequetur,
Tranſuerſoque minax curſu prohibebit euntem.
Ac veluti rigido baliſta impacta petauro
Denſatis circum clypeis teſtudine facta
Ambulat, obſtructoſque aditus, moleiſque refringit
Obiectas, muroſque & celſas ariete turreis
Deijcit: at vacuæ propugnatoribus arces
Linquuntur, rari apparent in mœnibus hoſtes:
Victor ouans vrbem ingreditur per vaſta ruinæ,
Depopulatque domos, flammaſque ac vulnera miſcet.
Haud aliter librato incedens pondere prædo
Conſequitur fugientem, & terræ adfligit adhærens,
Immanemque ſitim reſtinguit ſanguinis hauſtu.
Heic momenta etiam caute obſeruabis, & ante,
Quam fugiens cælo caput inferat arduus anſer,
Accipitrem emittes, humili perrepere niſu
Qui ſuetus, ſumma veſtigia ponet arena.
Ne forte occurſu fiat manifeſtus aperto,
Altaque diſploſis tendentem ad ſidera pennis
Terreat incaſſum prædam, impaſtuſque recedat.
Rurſus & hoc caute obſerua, cum ſtagna lacuſue

Excita anas, crepitante ſono exanimata, relinquet;
Præmature Aſtur ne pugno emiſſus herili
Præcipitet curſum, penniſque ſonantibus vndas
Prædam interceptam ſuper obruat. inde periclum
Imminet & damnum domino. nam territa vbi vndis
Merſit anas caput, & cœno ſe condidit alto,
Sæpe Aſtur ruit vna ardens, alaſque paluſtri
Tingit aqua: aſt illæ marcent humore ſolutæ,
Nec ſufferre valent, rurſumque efferre ſub auras
Immerſum corpus, nimioque madore grauatum.
Ille natat fruſtra, terque heic conatus anhelo
Tollere ſe niſu, ter rurſum abſorptus inhæſit;
Luctatuſque diu, tandem fatalibus vndis
Obruitur, rerumque vices expertus, & ipſe
Fit timidis præda alitibus, prædæque ſagina.
Nunc vnde accipitri hæc adeo contraria, tamque
Pugnanteis ſortita modos vis inſita fluxit;
Ales vt altilium in gentem implacabilis hoſtis
Bella gerat, nutus tamen idem obſeruet herileis,
Et cultu humano domitus manſueſcat & arte,
Dicite, Pierides, primaque ab origine cauſſas
Indagate rei, ſeriemque reuoluite facti.
Perfidiam Troum, & ſpretos vlturus honores
Neptunus ſtructis pactos pro mœnibus vrbis,
Per Phrygios late ſpargebat brachia campos.
Nec mora, ſternuntur ſegetes, labor irritus anni,
Speſque iacent hominum; Simois iam deſerit alueum,
Et Xantho aggeribus ruptis ſua flumina miſcet.
Vix ſummis nemoroſi Idæ iuga fluctibus exſtant,

Admittuntque greges; medius natat Ilion vndis.
Tum cuiuſque rei obſeſſos vrgebat egeſtas,
Summaque frumenti pænuria. non tamen illi
Vecordeis poſuere animos, oracula diuum
Scitati, aut Lycias ſortes, Phœbumue rogarunt;
Sed quaſi non diuum iuſſu, non cælitus eſſet
Illa immiſſa lues; vicina per opida mittunt,
Qui Cererem coëmant rebus ſolamen in arctis,
Auxiliumque petant, ceteque immania contra,
In cælum vaſtos cete eructantia nimbos
(Is miſeris cumulus diuinæ acceſſerat ira)
Expediant claſſem, & ſocios hortentur ad arma.
Illa tempeſtate Hierax rex nomine dictus
Pollebat late imperio, iuſtiſſimus vnus
Qui fuit, atque omneis inter tota Aſide terra
Diuini cultus & ſeruantiſſimus æqui.
Hic Mariandynos magna ditione tenebat,
Cauconaſque feros: huic tum piſcoſa Sinope,
Huic & Pontica Amaſtris, & ardua fronte Carambis
Parebant, buxoque virens pallente Cytorus.
Huc oratores præcincti tempora oliua
Mittuntur, manibus vittas laurumque ferentes,
Qui certum tanto feriant cum principe fœdus,
Et victum, armatamque petant in prælia claſſem.
Acceptis ille hoſpitio, Quod poſcitis (inquit)
Hoc dabitur. pietas iubet id mea, quippe ego nullum
Curarum, tantarum & opum, lateque patentis
Imperij fructum duco, pretiumque laborum,
Quam bene de cunctis in vita poſſe mereri,

Alloquioque inopes dignari, opibuſque iuuare.
Nulla mora eſt; veſtris quamprimum edicite læti
Ciuibus; arma, viros, duce me, claſſemque paratam
Exſpectent. vix deſierat, iam claßis in alto eſt,
Armatique foros complent: iam remige crebro
Inuerſa Euxini ſpumant vada ſalſa profundi.
Iamque in conſpectu Tenedos, iam Troïa pubes
Proſpectans longe exultat; cum ſæuus ab alto,
Aegæi quo rege tremit circumflua ponti
Regia, Neptunus furiali incanduit æſtu:
Et quis (ait) noſtras poſthac procumbat ad aras
Sacra ferens, cumuletue piis altaria donis,
Si conſulta Deum vindicta reuincitur arte
Humana, & ſcelus eſt mortali vindice tutum?
Alcides potuit monſtro eripuiſſe biformi
Heſionen: fuit hoc illi per numina pronum,
Et ſua virtutem patriam fortuna ſecuta eſt.
Aſt opibus non iſte adeo qui fidit auitis,
Non feret hoc impune Hierax; reſperſerit aras
Sanguine taurorum, & ſacros adoleuerit igneis,
Hactenus in ſuperos pius: at nunc impius eſſe
Deſinat, inſanæque luat periuria gentis.
Haud plura iratus. picea caligine cælum
Conditur, & Zephyris aduerſi flantibus Euri
Inſurgunt, gelidamque Notus concurrit in Arcton,
Et vaſtos tollunt connixi ad ſidera fluctus.
Sic vbi conuerſis inimica in cornua caſtris
Infeſtiſque animis concurritur, agmine facto
Inter ſe armati multa vi vulnera miſcent,

Crebreſcuntque ictus. ingens fragor æthera complet,
Et denſo cæci glomerantur puluere campi.
In diuerſa trahunt haud ſecius æquora venti,
Ex oculiſque procul Troum ſpem claſsis amicæ
Eripiunt; reſonant vndæ, & caua litora plangunt.
Dumque inſperato turbatum murmure pontum
Attonitus ductor puppi deſpectat ab alta,
Et fruſtra meliora deos ſedet omina poſcens;
Ecce repentinæ circumſtant vndique cælo
Immiſſæ volucres, & diris æthera rumpunt
Cantibus. heic Hierax primum temerarius arma
Cingitur, & ſtricto crocitantum auertere nubem
Molitur ferro & flammis; illæ acrius inſtant,
Conantemque vrgent magis & magis vſque fatigant.
Iamque illiſa vadis claſsis, prætoriaque ipſa
Aegæum fractis tabulis rimoſa bibebat:
Indoluit caſu ſummi regnator Olympi,
Fraterniſque odiis finem dedit, atque ſeueras
Parcarum leges, & ineluctabile fœdus
Fatorum eluſit: neue immortalis auaro
Merſa mari mens corporea cum mole periret,
Fluctibus ereptum pernicibus extulit alis,
Et pedibus teneris vngueis confixit acutos:
Vltoremque animum & memorem pietatis auitæ
Addidit. hinc & adhuc odio genus omne volucrum
Sæuus habet, vetereſque adeo nunc improbus iras
Seruat: at illa fides, deſideriumque iuuandi
Humanum genus, & pietas generoſa remanſit:
Hinc hominum ad voces exultat, & arte magiſtra
Accipiter paret monitis ac iuſſa capeſsit.

An magis Iſmaria notiſſima fabula Thrace
Ex vero trahit, & nomen famamque meretur?
Sic referunt vates, nec fingunt omnia vates.
Namque alium memorant, cui relligionis auitæ
Haud diſpar ſtudium, iuſti par cultus & æqui,
Cuique Hierax nomen, populos rexiſſe potenteis,
Herboſo gelidus qua margine clauditur Hebrus.
Huic concreta pigro Mæotis marmore, & ipſe
Europæ limes Tanaïs pro limite late
Sparſi erat imperij, rapidumque Propontidos æquor:
Belligeras ſibi tot gentes adiunxerat armis.
Aſt vbi conſiliis præceps deferbuit ætas,
Continuo a bellis Hierax ſe ad mollia transfert,
Mordaceſque fugat toto de pectore curas.
Nam quis erit modus ærumnis, quiſue exitus? inquit.
O mihi ſi exactæ properata retexere vitæ
Fila, per æternas leges ac fata liceret;
Quam non ſollicitus venturi temporis æuum
Degerem, & ignaua ſecurus pace laterem,
Haud quemquam metuens, non formidandus & vlli.
Sat famæ, ætatique datum, patriæque, meiſque:
Quid moror vlterius noua gaudia? iam mihi tandem
Viuere decreui, totumque reponere, quicquid
Inſomnis per tot vixi ſub pellibus annos.
Nunc iuuat vmbroſos indagine cingere ſaltus,
Viſco fallere aueis, vel miſſo figere telo,
Lunatoque vrſos adoriri in montibus arcu.
Tu dea, ſanguineis cui victima plurima Tauris
Concidit, &, patrio ſacris de more litatis,
Exſequimur vota, ac iuſſos adolemus honores,

Iam mihi numen eris; tuque ô Tiranibus arce
Aetheria pulſis, ſuperato & Gange ſuperbus,
Adſis Bacche pater; iam concipit iſta furorem
Mens Nyſæe tuum: trepidum cor palpitat, Euoe,
Bacche pater. thyrſumque rotat, ferulaſque ſonanteis,
Ogygiumque cauis vlulat conuallibus, Euoe:
Perque vagos Hæmi anfractus, Rhodopenque niualem,
Impoſitumque olim ſiluoſæ Pelion Oſſæ,
Nunc iaculo ceruos, volucreis nunc terret acuto.
Forte via feſſus longa Cythereïus ales
Exeſæ rupis ſalebroſo in pumice ſedit.
Olli tardipedis pertæſa Erycina mariti,
Ad carum properans dederat mandata Gradiuum:
Securos paret amplexus, atque oſcula blanda;
Eſſe procul fraudes. humili per inane volatu
Lapſa columba volat cęlo, mandataque perfert.
Ipſa Venus niueis inuecta per aëra cycnis
Subſequitur: circum volitant Riſuſque, Iocuſque,
Et Lepor, æternoque intonſus crine Iuuentas:
Aura fauet Zephyruſque leueis moderatur habenas:
Rareſcunt late nubes, animam ipſe repreſſit
Thrax Boreas, Zephyro gauiſus & hoſpite ceſſit.
Aduentum ſenſere Deæ, ſyluæque, feræque:
Mars ipſe inſolitas concepit pectore flammas.
At non infelix Hierax, cui ſanguine pigro
Cor ſtupet, & patrio duratum frigore pectus,
Præſenſit; viſamque procul de rupe columbam
Protinus intorto mediam tranſuerberat ictu.
Illa iacet: rex exultat, factoque ſuperbit,
Et certos ictus, ac neſcia fallere tela

Ignarus fati laudat ſortiſque futuræ.
Et longum Mars (inquit) haue: ſecura paramus
Arma; periclorum ſatis eſt, creperique duelli.
At Dea, cui iam pridem omnis mora longa videtur,
Aduolat interea, indignaque vt morte ſupinam
Vidit humi famulam, atque oculos auerſa retorſit:
Heu ſcelus! heu crudele nefas, quid amabilis ales
Commeruit? iam ne iſta petor per vulnera? dixit:
Vindictamque ferox animo meditatur; & , olim
Scilicet expectem, fodias dum perfide, nudum
Enſe latus (dictis his regem affatur amaris)
Ambroſiumque bibant venabula tincta cruorem?
Non Diomedea ſatis eſt me cuſpide vulnus
Accepiſſe manu magnoque iniuria cælo
Et nobis non vna ſatis? non angue Typhœi,
Enceladique minis ſatis eſt ſemel æthere in alto
Magnanimum tremuiſſe Iouem? tu pace cruenta
Bella moues, iterumque vocas ad prœlia diuos.
O male tot bellis, male tot defuncte periclis:
Tene periclorum tædet, vitæque prioris?
Compoſitaque ideo vicinos pace quieſcis
Inter, vt Ortygiam mutata ſorte puellam
Per nemora & ſiluas Mauorte ſequare relicto?
Nimirum illa tibi portus, requieſque laborum:
Illa tibi feſſæ ſtatio tutiſſima vitæ
Securam ſpondet poſt bella exhauſta ſenectam.
At ſaxo inuenias plus alta in pace pericli:
Quam ſi ſæua pares pharetratos arma Gelonos,
Immaniſque Getas contra, pictoſque Agathyrſos.
Plura loqui vetuit dolor; exſanguemque columbam

Miſit in ora viri: rigido concreſcere roſtro
Os illi, & teneris velari brachia plumis
Ceperunt, vncoque pedes horreſcere cornu:
Conatuſq; fuga pœnæ ſubducere corpus
Plus ſolito leuis euehitur, terramque relinquit,
Et tenueis Hierax tandem fugit altus in auras.
At ſocij magno interea clamore requirunt
Per nemus abſentem dominum: volat arduus ille,
Clamoreſque haurit cupidus, ſequiturque vocanteis,
Signaque dat motijs nequicquam pendulus alis.
Manſit amor comitum, atque odium exitiale volucrum;
Nunc etiam Amphipolim ſupra, Macedumq. per agros
Venantum iuuat, vſque memor, ſocia arte labores
Alta tenens, facilemque capi dat ferre rapinæ
Indigenis partem, partem ſibi vindicat ipſe.
Sed iam deuexo properat nox humida cælo,
Singula dum accipitrum capti luſtramus amore.
Conclamate citi erranteis in tecta volucreis,
Conclamate; nocet noctis Falconibus vmbra.
Iam, ni auris tinnit, videor ſub valle reducta
Latratus audire canum; nemora alta repulſa
Voce ſonant: vocat ecce ſuum Diana poëtam,
Et ſecum inuitat vicini ad fluminis vndam
Ponere membra ſolo, viridique quieſcere in herba.
Mox ego collectus heic viribus (vltima quando
Pars ſepti ſuperat non contemnenda laboris)
Accipitrum accingar morbos, curaſque ſalubreis
Dicere, & æternis mandare in ſæcula chartis.

DE RE ACCIPITRARIA
LIBER III.

IAM quibus aduerſus peſteis, & ſemina dira,
Morborum, accipitrumque lues, atque vlcera hiulca
Præſidiis vti conſultus debeat auceps:
Quaque etiam plagas, letaliaque obliget arte
Vulnera, & obducto doceat coaleſcere callo,
Exſequar. hæc longi nobis meta vltima curſus
Scilicet, & tanto finem impoſitura labori.
Caſta faue Dictynna, tuas in carmina vireis
Expoſco; extremum quod te nunc adloquor, hoc eſt.
Tu quoque, ſeu Cynthonue tenes, Pataramue, Rhodonue,
Phœbe ades, & propior veniens tua numina firmes.
Inuentum medicina tuum eſt, naturaque per te
Incolumis, multoſque hominum ſtat vita per annos.
Ipſe Coronides ſanguis tuus, ille medendi
Herbarumque potens, fati reſcindere leges
Auſus in Hippolyto quondam, facti illius ergo
Ab Ioue cum Stygias eſſet detruſus ad vndas,

Arte tua rurſus vitamque animamque recepit:
Ille ſed Egeriæ lucis adoleuit opacis,
Virbius hac propter mutato & nomine dictus
Effugit Iouis iram, & ineuitabile fulmen.
Salue opifer, magnum Latiis decus addite diuis:
Cum rebus populi adflictis in vota vocatus
Liquiſti antiquas ædeis, Epidauria templa,
Squamoſique anguis ſpecie per cærula vectus
Fixiſti æternam Tiberino in gurgite ſedem.
Non tibi tunc linguæ vibrantes ore micabant,
Horrida non picto ſurgebant ſpicula tergo;
Virginibus ſed colla dabas plaudenda Latinis,
Mitis, & adducta verrebas flumina cauda:
Salue iterum humani generis tutela, ſaluſque.
Nec vero ſi te totus iam ſuſpicit orbis,
Si tibi vicinæ gentes iam brachia pandunt;
Deſpexiſſe humileis ideo mea numina Muſas
Debueris, tenuiue inflatas murmure auenas.
Tu mihi ſuſcepti iampridem carminis auctor:
Te ſine, nulla tuo ſine nomine pagina creſcit:
Adſis, FRANCISCE, *& conatibus annue ſummis.*
Principio tam ſunt morborum ſigna, vagique
Circuitus, alijque alio pro tempore motus
Seruandi, queis res hæc accipitraria cordi,
Quam quibus humanæ commiſſa eſt cura ſalutis.
Ingluuiem hacpropter ſaturati gutturis ore
Reiectam vulgo inſpiciunt, artiſque magiſtros
Non pudet accipitris ſtudio explorare recentem

Proluuiem, & radio faces digitoque probare.
Hæc Aſclepiadis magno ſtat gloria alumnis.
Ordiar a capite; illud fons vitæque viæque
Per tubulos vagus innumeros qua ſpiritus exit.
Ergo vbi vi morbi ceruix labefacta graueſcit,
Sternutatio crebra ſubit (nam hæc ſigna ſequentur,
Serus vbi accenſo ſuccedet veſper Olympo)
Et conniuentes liuentia lumina ſenſim
Præſtringunt ciliorum orbes; tum corpore toto
Frictus, & in terram defixus viſus hebeſcit.
His contra auxiliis auertes triſte periclum.
Lardum in fruſta ſeca, ſectumque liquentibus vndis
Merge iterum atque iterum, bouis & confunde medullā;
Admixtoque croco pilulas hinc confice, moxque,
Pectore vbi atque ima virus deiecerit aluo,
Ante focum ſtatue, aut radiantia lumina contra:
Nec prius hinc auidum prædonem ac multa minantem,
Quam binis poſt, paſce horis; triduoque laborem
Hunc repete: inde piper contunde & dilue aceto;
Hocque tibi ſit cura ægro tergere palatum
Accipitri, & dulci nareis perfundere odore.
Sæpe etiam fauces præceps cadit humor in ægras,
Aut oculis vnguem obducit; ſæpe inde palatum
Intumuit, limenque inſedit bathracos oris,
Et caua ſub linguæ radice cubilia fodit,
Aut dira carcinus edax ſerpigine creuit;
Perniciem aduerſus tantam præſentius vllum
Haud iſto commenta hominum eſt prudentia ſollers
Præſidium: tu ferrum aude diſtringere candens,

Obtuſoque feri prædonis acumine criſtam.
Illa mali ſedes. alio mox transfode acuto
Obſtructas nareis ferro, triduoque quieti
Conceſſo, ſpatium poſt illud diuide rurſus,
Lumina quod roſtrumque inter iacet, haud mora, morbus
Soluetur, licet & diuturnior hæſerit olim,
Per ferrum admoti pelletur viribus ignis.
Ergo ſi papulæ fauces, animæque meatum
Occludant, ne quid poſſit glutire ciborum,
Auxilio mature opus eſt; tu collue oliuo
Tonſillas cornu infundens, & gutture aperto
Summa recreſcentis faſtigia comprime carnis,
Et radice reuelle, cruor dum manet, ab ima.
Si quando aſt oculum ſerpens pigro vngula morſu
Obſideat, tunc ferro vnguem tunicamque recide
Excernens circum, roſeumque infunde liquorem.
At caliganteis hebetat cum tænia viſus,
Cærulaque obiecta præſtringit lumina nube,
Gangæum piper, atque aloen, & graminis herbam
Contunde, & ſudo reſoluta hæc omnia cælo
Iunge ſimul, tenuique adfectam hoc puluere partem
Conſperge. huius item non eſt deſpectior vſus:
Vre Cytheriacam Vulcani munere concham,
Qua ſolitus Triton, dum perſonat æquora late,
Cæruleum in gremium palanteis cogere diuos.
Inſuper & pigræ teſtudinis incoque teſtam,
Et cinerem ex iſtis pupillæ inſperge retuſæ,
Iure chelidonij infuſo vel puluere trunci.
Tum ſi in palpebras cerebro fluat vnda ſoluto,

Collue amygdalino lacrimantia lumina oliuo,
Hærenteiſque hirquos dulci perfunde liquore.
Rurſus in auriculas teretes ſi noxius humor
Decumbat, ferrum crepitanti accende camino,
Fragrantemque roſam candentis acumine virgæ
Infer in auriculas, obturatoſque meatus
Ferro aperi, putris coëat ne tempore liuor.
Carcinum at contra bouis admiſcere medullam
Proderit, atque ſuis diſſectum in fruſtula ſebum;
His liquor accedat confuſus partibus æquis
Mellis arundinei: dulci tum collue oliuo
Vlcus, & inflicto ſub lingua vulnere, virus
Expurga quantum ſatis eſt, atque elue tabum
Goſsipio impreſſo tergens, plagamque recentem
Iure capillaris terque & quater illine plantæ.
Sæpe etiam incauto, nimiam ſtagnantibus vndis
Aut pigro dum fonte ſitim leuat, improba apertum
Repſit in os furtim penetrans & adhæſit hirudo.
Hinc præter ſolitum nares, mora nulla, tumeſcunt,
Creuit vbi poto ventrem diſtenta cruore
Bellua iners, morſuque larynx peruellitur acri.
Ingluuiem at fruſtra diducto nititur ore
Reiectare ales, ſigna hæc nam certa ſequentur,
Gutturaque obſtipus conatu pandit inani.
Præſidiis contra licet his auertere morbum.
Cimicis exuſtæ graueolentem in guttura fumum
Demitte, aut citrij ſtillatum infunde liquorem
In fauces, tætro nares aut vnge ſinapi:
Nulla mora, exanimis prono labetur hirudo

Pectore, & accipitris ſoluentur membra dolore.
Tum ſi forte ſacer cæca vertigine morbus
Tentet agens caput, & dira caligine vertat,
Proderit occipitis foueas aperire latenteis,
Et ſummum ferro candenti ſtringere culmen:
Glutiat hinc auidus pingui manantia rore
Balſama; mentaſtri queis ſuccum, & Pontica mixtim
Caſtorea adiunges; ſunt & qui raſile ferrum,
Saccharon, & Phariæ tundunt nigra ſemina lentis.
Illa malum valet aduerſus tutela caducum.
Accidit & perſæpe, cauo ſub fornice roſtri
Fiſtula vti abſceſſuſque ſuperfluitante cerebro,
Materiæ fiat; curam nunc accipe morbi.
Tu capitis primum poſtica pilare memento,
Sanguine dein porci line butiroque recenti
Nudatas partes: hinc venam diuide ferro,
Quæ geminos tranſuerſa oculos per tempora cingit:
Mox tenuis miſſo ſtringatur vena cruore,
Rurſus & vngatur vulnus, rugoſa cicatrix
Dum penitus coëat, butiro & ſanguine porci.
Hinc alij atque alij ſuccedunt ordine morbi,
Quorum nunc ortus, cauſſas ac ſigna docebo.
Si iecur immodicò feruens incandeat æſtu
Siue intemperie ingenita, vitioue ciborum,
Letalem ſigna hæc morbum manifeſta ſequuntur.
Guttur inardeſcit, liuent ſubter ſola plantæ,
Palloremque cutis trahit hærens corpore toto.
Ante veni caſum, & purgantibus vtere ſuccis,
Radicemque rhei madefactam flumine viuo

Iunge cibis; paſtus iecori medicabitur ægro.
Sic etiam, pulmo ſi decumbente catharro
Obrutus, & nimio ſub pondere preſſus anhelet,
Accipiter paſcendus erit; carnemque caprinam
Proderit in minimas diſſectam adponere partes,
Coryciumque crocum miſcere, & ſaccharon vna,
Inde minutatim ſetas concidere porci,
Et concreta nigro miſcere coagula tabo
Cura ſit, Aſsyrioque dapeis diſtinguere coſto:
Foſsilis his ramenta ſalis confunde, & oliuum,
Et nuper poſiti diſſolue albumine lento
Cuncta oui, madidumque liquore hoc imbue paſtum.
Fit quoque difficilis graueolentis anhelitus oris,
Aſthmate ſi ſubito correptus langueat ales.
Illiſit ſeu tergum ardens ad ſaxa cadendo,
Dum ſequitur prædam, gelidusque ſub hepate ſanguis
Diſtortis coïjt venis, animæque meatum
Obſtruit; aut temere concepit frigora magnum
Poſt æſtum, & rapido toleratos Sole labores.
Signa mali hæc quoque ſunt: nequicquam pectore prono
Aeſtuat, & roſtro fruſtra conatur hianti
Vitaleis ſorbere auras, vteroque recuſſo
Palpitat, & recta diuerberat aëra cauda.
Ergo ſi fauces dolor occupat: abde quieto
Accipitrem tecto, lucem vnde patente feneſtra
Hauriat, & clatris Solem admittentibus almum,
Huc illuc diſcurſet ouans per inane volando.
Raſura hinc chalybis contrita, & puluere glebæ
Armeniæ, Hyblæiſque fauis condire memento

Adpoſitam

Adpoſitam carnem. Sin ipſis renibus alte
Inſideat dolor, & deſæuiat vlcere putri.
Aſparagi Samia radices incoque teſta;
Adde & feniculi fibras, atque inde liquore
Expreſſo paſtum, vulpini aut puluere ſparge
Pulmonis; Falco ſic fiet ab aſthmate liber.
Viſcera ſi quando infeſtat concretus & anum,
Aut æſtu nimio iecoris, vitioue ciborum
Calculus & ſæuo diſtendit membra dolore,
Signa dabit morbus. pigra vix egeret aluo
Proluuiem Falco; calcem quoque & illa colore
Exuſtam referet, Sirboniacumque bitumen.
Inde tumor pedibus; nareis dolor obſtruit ægras.
Auxiliis his contra opus eſt, cineremque recocti
Pumicis ad trutinam iuuat hircinumque cruorem
Admiſcere cibis: tum myriophylla, leuique
Puluere ſaxifragam tenuatam adiungere debes,
Verbenaque ſacra pilulas exinde parare.
Si vero nec ope hac lenteſcat calculus hærens,
Tunc ferro flammiſque malum expugnare decebit.
Annoſa ſed cum ſenſim ex putredine natus
Lumbricus lento vexat præcordia morſu;
Crebrius & iuſto plus oſcitat, & tremit ales
Horridus, atque humeros, ictus quaſi vulnere, inertes
Stringit, & adductis tacitus ſe colligit alis.
Sæpe etiam plumas, morſus qua ſentit edaces,
Vellicat, & toruo collimat lumina vultu.
Tu quid opus facto aduerſus morbum accipe tantum.
Barbarici tere fruſta rhei cum melle liquenti;

Adde abſinthia tætra, ingrataque centaurea,
Theriacam miſcens vna, pilulaſque paratas,
Si qua fides arti, tantos ſeruabis in vſus,
Iam ſi olim crudas infirmior expuat eſcas,
Et reuomat magis atque magis, quæ ſumpſerit ales,
Seu ſtomachi vitio, quod odor grauis arguit oris,
Aut caſu: neque difficilis tunc cura medenti.
Vtile erit ſtomacho miſcere abſinthia tætra,
Et nardi ſpicas, & caryophylla, roſaſque
Sanguineas, acorumque, & amico ſemine amomum,
Corralia & guttis Perſeia tincta eruentis
Cum ſiliquis aloës; his nux accedat odora,
India quam fecunda creat, funguſque marinus,
Nondum auidi fungus rictu glutitus aſelli:
Et reſina vdo Chiæ de cortice manans
Lentiſci, nec non ex æquo & Pontica radix.
Ad ſtomachum faciunt generoſi & pocula Bacchi
Plerunque, & redeunt effetæ in priſtina vires,
Accipitri ſi bina meri cochlearia dentur,
Et poto longum iaceat reſupinus Iäccho:
Interdum & cochleas dilutas lacte capellæ,
Aut muliebri etiam, & tarde gradientis aſellæ
Propinare auido expediet, ranaſque paluſtreis.
At cum nodoſa renes arthritide languent,
Nec potis eſt ales cælo ſe adtollere aperto:
Tum pilulis cerebri vitium expurgare decebit,
Et medios ferro candenti figere lumbos.
Mox ſuper addatur fletum factura ſinapis,
Nariciaque picis par portio, & omnia dulci

Dilue butiro, factumque his vlcus inunge.
Proderit & tepida renes perfundere lympha:
Centaurea adhibe, rutamque, & Hymettia mella,
Dictæique herbam dictamni, & amara ſalubris
Abſinthij folia, atque aloen, triſteiſque lupinos;
Hydropiper, mentamque, ingrato & galbana odore;
Atque hæc cuncta ſimul Phario diſſoluere aceto
Matura cum felle bouis, reneſque perunge.
Tum balanus fiat decocti ex vnguine mellis,
Et centaurei, atque aloes, felliſque ſuilli.
Sæpe etiam fetus per tempora femina, plumas
Cum primum in caueam poſitura reconditur, oua
Concepitque vtero, mortiſque pericula adiuit.
Quippe renaſcentem ſimul ac Zephyritides auræ
Egelidis renouant ſub vere teporibus annum;
Extemplo inſolitis ardent præcordia flammis,
Inſpiratque nouum calefacta per oſſa venenum
Dirus amor, vimque ex oculis & pabula ſumit.
Inde mares adſpectu arcent, longeque relegant,
Qua non audiri gemitus, triſteſque mariti
Plangentis voces, non triſtia murmura poßint.
Ni faciant, annique fugam vernantis & horam
Præueniant fatalem, & tempus amoribus aptum;
Inſinuat teneris contages cæca medullis
Languida tabifico depaſcens membra calore.
Hinc deſiderio abſentis macreſcit vterque,
Inque dies furor augetur, damnoque ſalutis
Femina ſæpe maris fetum memor edidit aluo.
Haud aliter, paribus flammis cum corda duorum

Vrit ſæuus amor, gaudet præſentis vterque
Conſpectu, inque oculis ſe quiſque & pectore verſat.
Alter ab alterius ſed ſi complexibus olim
(Diſsidium crudele) procul cogatur abeſſe;
Siue domum retrahit moroſi cura parentis,
Aut pudor, & rigidi vox imperioſa tribuni
Militiæ ſub ſigna vocat; piger ille ſeuera
Iuſſa facit, cæcoque abſentis carpitur igni.
Illa furit, paſsiſque errat laniata capillis
Dilecto viduata viro; nam ſpectra recurrunt,
Præteritique æui ſimulacra & dulcia furta:
Angitur, & lento ſenſim confecta dolore
Liquitur, vt niuibus fluit Alpe cana ſolutis.
Nuper vt abſentis tota deperdita mente
Daphnidis ingemuit cauſſa Carnutis Hyella.
Illam vos montes, vos Pyreneïæ arces,
Et ſiluæ & ſaltus, illam generoſe Garumna,
Indigeteſque dei, Nymphæ, Faunique bicornes
Vidiſtis quotiens plangentem pectora palmis,
Abſenti quotiens in Daphnide ſuſpirantem:
Dicite, namque recens dolor, & meminiſſe poteſtis.
Sæpe loqui voluit, luctantia ſæpe repreſsit
Verba dolor, ſæpe & vox arida faucibus hæſit:
Ac via vix tandem iuſtæ laxata querellæ eſt.
Tu patriam ſine me viſes caroſque penates,
Daphni, nec abſentem teneræ miſerebit Hyellæ:
Oſcula nec, voceſque & murmura blanda, ſuſurroſque
In mentem veniet meminiſſe; ah cur mihi, læſis
Cum te conſpexi primum temeraria ocellis,

Non eadem, quæ me victam fera ſub iuga miſit,
Sors tulit & vitam? cur me rapis improbe tecum,
Abſentemque trahis? verum quando aſpera fata
Eripiunt mihi te, nec nos patiuntur amore
Expleri cupidos, & dulceis paſcere flammas,
Viue memor noſtri: quamuis longinqua locorum
Nos dirimant ſpatia, & tardi mora temporis obſtet,
Viue memor, nec te fidei certiſsima quondam
Pignora ferre meæ, grati monumenta furoris,
Pæniteat; fors hæc etiam meminiſſe iuuabit.
Ergo per Aruernos montes, Elauerque vadoſum
Dum properas, Segusjque Forum, Ligerimq. ſonantem,
Ad Lugdunenſem ſeu qua piger influit aram
Miſtus Arar Rhodano: tutus ſeu ponte Matiſco,
Munituſue loco Cabilo, ſeu Diuio caſtrum
Te tenet, externa dites aut merce Tricaſſeis
Iam præteruecto, populoſa Lutetia amicos,
Et torta cum veſte ſinus tibi Sequana pandit:
Sis memor vſque mei, nec te, quæcunque laceſſet
Forma recens oculos, noua per ſpectacula ludat.
Quæque mihi hinc abiens mandata extrema dediſti
(Nam memini, inque ſinus lacrimarum depluit imber)
Hæc animo repete, & memori ſub pectore conde.
In patriam inuitus rapior, mea dulcis Hyella:
Ah tibi ne tantum (dicebas perfide) victrix
Concidat, atque alio mens incendatur amore:
Aut iurata noua caleat conſtantia flamma.
Quæ tunc dicebas, eadem tibi dicta putato:
Iamque vale; atque breuem reditum ſi victa querellis

Indulget fortunæ meis, tu protinus a me
Amplexuſque artos, atque oſcula miſta ſuſurris
Expecta: ſin heic mora me diuturnior arcet,
Letifera, mora nulla, cito me tabe pereſam
Triſtis, & indigna lugebis morte peremptam.
Dixerat illa graui mentem inflammata dolore:
Nec minus abſentem tacito ſub pectore Daphnin
Vrit cura vigil, cæcoſque reſuſcitat igneis;
Alternas contra ille refert ſæpe ore querellas
Virginis ad voces, fortaſſe & triſtior ipſe.
Accipitrum tantus furit imis ſenſibus ardor,
Garrula vbi tectis nidum ſuſpendit hirundo,
Et vetitos nimia accendit vicinia amores.
Inde mares procul ablegant, vt diximus ante,
Præſidiumque adhibent contra, vrinaque calenti
Sexennis pueri perfundunt pabula, & inde
Mollirique ouum diſſolui & protinus vſu
Compertum eſt. Quin oui etiam (quis crederet?) hauſtu
Occultis pereunt naturæ effectibus oua.
Sunt & qui lacrimam Leneæ hos vitis in vſus
Vere nouo prodeſſe putent, atque inde liquorem
In paſtum inſtillant, interſtitioque dierum
Paucorum conceptus abit ſine tormine fetus.
Iam tineas contra, patitur cum corpore toto
Profluuium, plumiſque ſuo non tempore Falco
Exuitur propera; denſata quippe meatus
Pelle obturantur, nudum accipitremque relinquunt.
Aurea acu primum cruris tibi vena ſecanda;
Mox partem implumem line amaræ cortice oliuæ;

Huic ferri raſuram, & myriophylla, & alumen,
Purpureamque chelidoniam, nitrumque petulcum,
Centaurea, aloenque, ſubactam & ſaluiam aceto,
Et Capitolini ſtercus ſimul anſeris adde.
Cunctorumue loco, neque tantum cetera proſunt,
Tu Libani ſudata iugis opobalſama miſce.
Sæpe pedes ruit in tumidos & noxius humor,
Et metus eſt, lapſu cancer ne temporis auctus
Serpat, & vna vlcus ferat immedicabile ſecum.
Ergo para auxilium, ſtuppaque inuolue tumorem,
Et ſtuppam perfunde oleo, roſeoque liquore;
Cappadocum ſal iunge, & ſulphura viua, & alumen,
Aeæique acori ſuccos, ebulique rubentis
Radicem; terra his liquefacta Cimolia aceto
Accedat, vel quam mittit Vulcania Lemnos:
Nuper & inuento quam fundit ab vbere tellus,
Qua Ligeris flauas conuoluit turbidus vndas,
Siluoſoque hærens arx Aripendia cliuo
Deſpicit Amboſias ſublimi vertice turreis.
Sin & opem renuens pergat crudeſcere morbus,
Nec deſperato deerit medicina dolori.
Ficta Prometheo mortalia pectora limo
Quid non audetis? quo non humana proteruo
Progreſſa eſt animo conandi induſtria? peior
Inuenta eſt medicina malo: nam frangere crura,
Atque ope inhumana tam dirum ſiſtere fluxum
Profuit expertis; nec magni hæc cura negotij.
Faſciolis apte compoſtum cinge reductis
Accipitrem, albumenque oui, glebamque liquore

Diſſolue Armeniam; tum crura include cauatis
Rupta prius ferulis, aut lentæ caudice cannæ:
Iura etiam hortenſis ſolani infunde: ita prædo
Puluillo illatus iaceat, dum vulnera callum
Obducant, rectoque inoleſcat crure cicatrix.
Territi at ingentis permulti mole pericli,
Atque metu febris, leui ſubſtringere filo
Adductam venam curuo ſub poplite malunt:
Sanguine & hac miſſo, paruum qua ſubdita vulnus
Fecit acus, ſebum gallinæ aut anſeris addunt:
Sicque putant prohiberi humorum in crura ruinam.
Rurſus & in pedibus, pigræ per frigora brumæ,
Formicat pruritus edax: hinc ſæpe laborat
Pumilus accipiter, tanti impatienſque doloris
Arroditque pedes & roſtri cuſpide differt.
Tu prohibe, & folium collo ſuſpende papyri,
Quod pedibus morſus defendat, & illine amaræ
Puluere partem aloes, felliſque liquore ſuilli:
Adde bouis ſtercus figuli fornace recoctum,
Et cinerem hinc acri tenuatum dilue aceto.
Hæc morbis ſuper internis; iam vulnera dicam
Quo tibi ſint curanda modo, luxataque membra.
Arte Machaonia nunc res peragenda, mederi
Vulneribus vel qua ſolitus Podalirius, & qua
Phillyrides Chiron, Amythaoniuſque Melampus
Inachias tantum nomen meruere per vrbes.
Accipitris capiti vulnus ſi forte ruentis
Aut aquilæ morſu illatum eſt, caſuue, recentem
E calido line plagam oleo, ſaniemque repurga:

Mox

Mox infundatur capiti Cynarëius humor
Panchææ cum ſucco aloes, & polline turis:
His & vetonicæ tenuatis adde farinam,
Et latice ardentis diſſolue hæc omnia vini.
Sin oculo plaga inflicta eſt: tu protinus oui
Albumen piſtillo agita, lymphaque tepenti
Dilue; ter ternis decet hoc iterare diebus.
Mox alia occurrunt collyria: maſcula tura,
Saccharon, ingratamque aloen, myrrhamque Sabæam
Tunde, leuem in cinerem tundendo & ſingula ſolue.
Fictitium ex malo granato his adijce vinum:
Adde chelidoniæ ſuccos, marathrique, roſæque,
Cuncta ſimul miſcens, medicata & dilue lympha.
Pectore ſiquando penetrabilis ictus adhæſit,
Admoto ad plagam quod lumine cernere fas eſt,
Goßipioque leui tenueis ludente per auras,
Matura auxilium, reſinamque abietis vnctæ
Vino albo diſſolue, vel Oriciam terebinthon:
Elueque hinc ſaniem. ſin autem & latior ore
Plaga hiet, & nimias reflando ſorbeat auras,
Conſue quod plus eſt quam ſit ſatis, intus & abde
Lemniſcum, pateat puri exitus vnde mouendo.
Tum ſi materiæ abſceſſus magis ingruat atræ
Inque dies magis atque magis; tere maſcula tura;
Adde lupinorum glomeratam melle farinam,
Et ſiliquas aloes, & humi naſcentis amicum
Anthemidis florem, atque inceſti conſcia partus
Ligna per Eoas & adhuc lacrimantia ſiluas.
Hæc reſoluta albo flammis ſuppone Lyæo,

Incoctus ſaliente liquor dum bulliat vnda:
Per colum cuncta & tandem tranſmiſſa patentem
Effunde in plagam; ſupraque infraque iacentis
Corpus agens verſa, quo permeet vſque ſalubris
Humor, & auxilium penetrans in vulnera portet.
Iamque expurgato ſupereſt vt vulnere carnem
Perſolides; tu myrrham Arabo de cortice miſce
Cum ſiliquis aloes, & tura, & roſcida mella,
Et pinguis terebinthi vna compone liquamen.
Maior in hoc labor eſt, cum vulnere in intima adacto,
Inteſtina cruenta foras, velut agmine facto,
Erumpunt, rurſuſque ſua in penetralia cogi
Aut vento grauida, aut violenti vulneris ictu,
Atque inflammato nequeunt diſtenta tumore.
Illa prior calido ſit cura fouere Lyæo:
Spongiaque addatur medicato imbuta liquore,
Dum pars detumeat; mox Euboicam meliloton,
Anthemidemq. roſaſq. abſinthia amara, & anethum
Tunde vna, & corion, Peluſiacumque cuminum:
Crudaque non deſint ſucco lita mellis aniſa.
Nec ſatis hæc, cogi ſi forte in ſepta recuſent.
Viſcera concepto ſe ſe attollentia flatu.
Ergo operæ pretium eſt ferro laxare meatum,
Atque, inteſtinis anguſta in clauſtra repreſſis,
Conſuere & tenui plagam coniungere rima.
Tumque & cinnabarin, & mella Calymnia, & vna
Calcem adde ardentem, myrrhamque, & tura minuta,
Maſticinumque oleum: carniſque a glutine nomen
Quæ reſina trahit: gummi his miſcere Sabæum.

Interdum, atque aloen, terebinthique vnguina prodeſt:
Armeniam hinc terram tere cum lacrima Panaceæ:
His & oryzæ, & Niliaci cyami adde farinam.
Nec, ſi longinquis procul a lare dura locis ſors,
Dum prædam huc illuc vrges per inane vagantem,
Te dira adflicto plaga falcone moretur,
Expectare, & letiferi differre medelam
Vulneris, ad multam repetas dum mœnia noctem,
Debueris: calido fer opem; mora parua nocebit.
Nuſquam imprudentem offendat te caſus acerbum
Funus agens ſecum: mediam tum ferro aperire
Commodum erit gallinam, & adhuc ſpirantis anhelum
Pectus ad os tumidi componere vulneris, exta
Donec natiuo poßint reſoluta calore
Anguſtas ſedeis, proprioſque ſubire receſſus.
Hoc ſat erit, prædonem intra dum tecta reportes,
Mox vbi cunctarum ſuperabit copia rerum,
Aptaque non deerit tanto medicina dolori.
In genere hoc, paucis perſtringam vt plurima, neruis
Cum pars læſa ſcatet, pinguis ſat erit terebinthi
Reſina linere vlcus, odoratique cyperi:
Necnon Tarbellæ pellucidus abietis humor
Proderit. at ſaliens arteria protinus icta
Motibus aduerſis conuellitur, & tremor errat
Perque artus & membra frequens, atque aggere rupto
Purpureus totis ſanguis fluit vndique venis.
Nil te Caucaſeis ad Lunam iuuerit herba
Lecta iugis, non quam proprio ſibi nomine diui
Moly vocant: victam heic ſe vltro natura fatetur,

Agnoſcitque ſuis potiores viribus artes.
Ergo adhibe ferrum candens, venaſque cruorem
Siſte vrens; tantum graciles attingere fibras
Deuita, & tenueis, fallunt qui lumina, neruos.
Sæpe quidem externa quãquam haud appareat vllum
Pelle malum, tamen introrſum præcordia circum
Concretus coijt ſanguis; tum languidus ales
Nauſeat, & prona triſtis ceruice recumbit.
Hæc valet aduerſus tantum medicina periclum.
Tunde Cyrenaicum graueolenti ſemine laſer;
Capparis accedat radix, malique liquorem
Funde ſuper granati, aut viuo ſulfure tincta
Tingue cibos lympha. pilularum & proderit vſus.
Lentiſci reſinam vna, & naſturcia miſce,
Pictaque puniceo contunde balauſtia fuco;
Lemnia tum terra, atque vrens addatur alumen,
Turaque, mentaſtrumque, ſoporiferumque papauer.
Vngue ſed infracto, ſpicati & acumine roſtri,
Exeſam vtile erit carnem contingere pinguis
Gallinæ ſebo, viridiſque cruore lacertæ;
Proderit & ferro ruptum præcidere cornu
Vndique, vt inferior roſtro maxilla recedens
Claudatur ſupero, & ſurſum omni ex parte tegatur.
Dein corio præruptum vncto veſtire memento
Circum vnguem excidens; adde Idæam terebinthon,
Et violæ ſuccum, & roſeo ſolue omnia oliuo.
Proxima luxatis cura eſt ſuccurrere membris,
Mota loco cum crura dolor diuexat & alas.
Præcipitate moras ſocij, accipitrumque magiſtri:

Ac, prius incenſo pars inflammata tumore
Ardeat, & cæcum læſis ferat oßibus ignem,
Auxilium prabete manu; membriſque repoſtis,
Explorante ſinum digito, inſolitumque tumorem;
Cingite faſciolis audentem multa volutis:
Luxatum crus imprimis ſcapulamque ligare
Expediet, nexiſque apte committere vinclis,
Tura prius ſed ſparge ſuper, glebæque farinam
Armeniæ, nec non opium, lacrimamque cruentam
Miſce vna, & placidæ renuentem trade quieti.
Præcipua in plumis huius pars artis alendis
(Quippe tegunt alas) omnique a labe tuendis
Verſatur: tu præcipuam ne deſpice curam.
Nam venandum inter ſcapulam perſæpe reciſæ
Arboris illiſit trunco; poſt terga relicto
Sæpe etiam domino, catulorum morſibus ictus,
Dum præceps prædæ incumbit, communis & ardor
Fœdus amicitiæ atque odij diſcrimina neſcit,
Luxatis adflictus humi fractiſque remanſit
Accipiter membris. culpa quoque ſæpe magiſtri
Accidit, vt magnis plangoribus incitus alas
Ad palum laxis quatiat religatus habenis,
Parietibuſque latus duris offendat inerme.
Ergo hinc vibrato luxantur corpore pennæ,
Ignauæque humeris hærent & inutile pondus.
Tu vero tepida mutilatam perlue partem
Fontis aqua, & molleis tractando dirige culmos:
Mox betam in cineres viridanti a ſtirpe reuulſam
Mitte, & luxati medium calami indue truncum

Diffiſſo caule inuoluens, vincliſque coërce.
Sic modo pigra ſuos miti reſoluta calore
Penna dabit motus, excuſſaque tendet in altum.
At non tam facili fractas reparare labore
Falconis pennas, aliaſque nouare licebit.
Artis opus magnum hoc noſtræ; tamen hoc quoq. quamuis
Magnæ molis erat, facile experientia factu
Reddidit, atque alias imitando repperit artes.
Nam ſi rupta quidem, ſed non a ſtipite penna eſt
Omnino diuiſa ſuo, tu protinus vnge
Interiora oleo fracturæ labra tepenti;
Conſue mox, læuo coniunge & pollice partem
Serica fila trahens leui ſtringentia nexu,
Ne terebratus acus findatur acumine caudex.
At trunco derepta ſuo ſi penna volanti
Deciderit, fruſtra heic quando natura laborat,
Artifici inſitione opus eſt; immitte minorem
Præruptum in truncum caulem, qui parte ſuperna
Induat inſertam iuſto molimine pennam.
Commiſſura apte hac faſtigia bina iugabis;
Mox & vtrunque latus per facta foramina acutis
Perdicis ſtreperæ plumis teneræue columbæ
Tranſuerſis veluti clauis configere debes,
Summa flagella premens: ita qui modo pigra trahebat
Mæſtus humi gradiens implumia terga, repente
Pandet adoptiuas ſolito laſciuior alas;
Miratuſque noua librari corpora cauda
Sublimeis rurſus glomerabit in aëre gyros.
Haud ſecus inculto naſcens meſpillus in horto

Vrticaſque ruboſque inter ſpinoſaque teſqua
Inſeritur, libroque liber concretus amico
Porrigit inde ſuas, alienis frondibus inde
Luxuriat, varioſque vno de ſtipite ramos
Fundit, & artis opes naturæ viribus addit.
Vidi quem fiducia eo deduxerat artis,
Alarum exciſis illæſo vt corpore pennis,
Conſueretque nouas rurſus, ſutaſque reciſis
Insereret truncis, & verſicoloribus alis
Implumeis humeros ſcapulamque amiciret inermem,
Vndique quæſitis concinnans tegmina plumis.
Ergo humeris Gangeticus hinc, & Phaſidos ales
Effulget, praſinuſque merops, & aquatica boſcas;
Hinc radiant Mauræ exuuiis Meleagridos alæ.
Ac veluti Volgæ ad ripas, placidique Tibiſci,
Adſtrictumque gelu qua Viſtula fertur in æquor,
Stat bellator ouans; cui quod ſub mœnibus vrbis,
Ambiguiſue manu mactati in finibus hoſtes;
Plumarum intextis galeæ tot criſta corymbis
Adſurgit, variis prono tot vertice pennis
Nutat apex: volat hic turmas ante arduus omneis,
Adtollitque iubas, & brachia iactat in altum
Conſpicuus, geſtatque ferox pro fronte tropæum,
Et meritum factis decus arrogat. haud ſecus ales,
Externis conſerta opibus cui terga coruſcant,
Exultat, Martemque audax dominumque laceſſit
Lumina torua rotans circum, bellumque cruentum
Spe præſumit atrox, & inania vulnera miſcet.
Te quoque conceptus varios, cunaſque docerem.

Altius indagans cauſſas, arcanaque rerum
Rimatus claras proferrem in luminis auras.
Verum alio me Muſa vocat, potioraque dictis
Mens geſtit memorare; nouo en mea concutit æſtro
Feruor, & exagitant maiores pectora curæ.
In laudes, FRANCISCE, tuas mihi carminis ibit
Quod ſupereſt: tu da vireis & vota ſecunda.
Cum primum Belgas ſecura in pace beatos
Iuſtus inexpertos furor arma capeſſere ſuaſit,
Attonitus ſtrepitu Scaldis, veterumque malorum
Haud quaquam ignarus, venturiue inſcius æui,
Illacrimans glaucum fluuio caput extulit alto,
Atque vrnæ incumbens hæc ora in verba reſoluit.
Heu quantum turbarum inſtat, quantaſque procellas
Exciri, quantas cædes ſtrageſque videbis
Terra ferax hominum, centum cui litore curuo
Stant vrbes circum, cui non certauerit ipſa,
Saturni licet imperiis ſe iactet & auro,
Auſonia, & latis vicina Britannia campis.
Nec vero ſe ſe Ligeris, vel Sequana nobis
Anteferat, Rhodanuſque ferox, præcepſque Garumna,
Nuper & infelix fatali clade Somona:
Non Padus, & magnam Venetum delatus in vrbem
Medoacus, tortis non flexibus Aufidus errans.
Centum habitant populi circum, me ripa ab vtraque
A Samarobrina centum comitantur euntem
Flumina in Oceanum, atque vndis ſocialibus augent.
Adde vrbes, adde artificum genus omne, & opum vim
Immenſam, fana adde deorum ædeiſque ſuperbas,
Structaque

Structaque regali tot celſa palatia ſumptu.
Sed nulli ſua felici ſtat proſpera ſemper
In curſu fortuna manens: nunc triſtia lætis
Succedunt; mox in contraria triſtibus addit
Læta Deus, rerumque alternus vertitur ordo.
Magna tamen ſpes eſt, ſi non me decipit auctor
Augurij Proteus, nec certe decipit augur;
Has magnum in terras diis fortunantibus olim
Heroem demiſſum iri de ſtipite Franco,
Auſpicius cuius ſe Belgica gloria tollet
Rurſus, & antiquos mores animoſque reſumet.
Ac memini quondam, rapido cum forte per æſtum
Sole fatigatus gelida recubaret in vmbra,
Et dulcem caperet montis ſub fornice ſomnum,
Addita vincla Deo; (nam noſtri audire iuuabat
Fata renarrantem imperij, caſuſque futuros)
Exire at vinclis luctatum ſæpius, & ſe
Nequicquam in varias mutantem Protea formas
Alta per has tandem rupiſſe ſilentia voces.
Cogor inexplicitas fatorum pandere ſortes:
Dij, quibus hæc curæ commiſſa arcana, fauete,
Et quantum ſatis eſt, ſinite hæc memor omnia ſeruet
Dicta animo Scaldis; prohibent nam cetera Parcæ.
Litoris hoc quodcunque vides, quod aduſque Batauos,
Atque Caninefates, piſcoſique oſtia Moſæ
Porrigitur late, & ſpumanteis æquore fluctus
Summouet, obiectaque inſtanteis mole repellit,
Et quaſcunque capit terras; ingentia quondam
Opida erunt; nunc ſunt denſæ ſine nomine ſiluæ.

Saltibus his quondam cuſtodem imponet amicum
Rectoremque dabit vaſtanteis omnia Danos
Contra, & vicinam populanteis Saxonas oram
Karolus, Heſperij faſceis qui adtollere princeps
Imperij audebit, Longobardumque rebellem,
Et patrio egreſſum propellet limite Maurum.
Ille & Hyperboreas gentes, Cimbrumque ferocem,
Et Boium, atque Amiſi coget trans Saxonas amnem.
Inde tibi decus, atque æterna gloria famæ
Francorum auſpiciis: nec fas aliunde petitos
Accipere in regnum dominos: hinc ſceptra regendis
Gentibus, inde datæ percuſſo fœdere leges,
Quas violaſſe nefas vlli: nec ſera manebit
Pœna reos: ſpargent incendia vindice Franci
Quippe manu, fideique datæ contemnere pignus
Auſos, ad pœnam damnoſo Marte repoſcent.
Mox tua Borbonius firmabit regna, vagumque
Imperium ſiſtet: multos dabit ille nepotes
Sanguine ab illuſtri, patriumque in nomen ituros,
Auctaq. dehinc genero tranſcribet ſceptra Philippo,
Et titulis cumulata nouis; quæ Karolus olim
Reſpuet, & forma captus potiore puellæ,
Fratri vltro permittet, & indulgebit amori.
Obſcurum aſt illo, Burgundio, principe rurſus
Clareſcet nomen, & formidabile terras
Implebit, patrioſque lares cunabulaque ipſa
Miſcebit bellis: veniet tandem ordine longo
Extincti cum morte odij qui colliget heres
Relliquias, totumque animis ingentibus orbem.

Amplexus, generis Francis auctoribus arma
Inferet, & iuſto prætexet nomine bellum.
Externum hic generum volet, externoſq. Hymenæos;
Ac tandem Heluetiis temere congreſſus acerba
Morte cadet: tot opum & tantarum herede relicta
Filiola, quæ ſecum iras odiumque paternum
Inferet in thalamum, quem ſors dabit aſpera cumque.
Nequicquam. licet hıs cælo domus æmula ſurgat
Principiis, late Heſperias regina per vrbes;
Atq. idem in imperium coëant Drauuſque, Sauſque,
Moraque pellucens, atque auro turbidus Oenus,
Danubiuſque pater, totam qui permeat vnus
Europam, Euxinumque ruit non vnus in æquor.
His licet accedant & quæ Tagus aurifer arua,
Bætis, Anaſq. rigant, Minius quæ Cantaber, & quæ
Alluit incerto Sicoris permiſtus Ibero.
Pœninas huic intra Alpeis licet Abdua velox,
Ticinuſque fluat, biferique roſaria Peſti
Qui rigat, & Calabros Silaris diſterminat agros;
Appulus & triſtis, triſtis famuletur Iäpix,
Diſcretuſque maris longo ſpatio vltimus orbis;
Inueniet conuerſa viam fortuna, ruetque
Victorem ſuperincumbens, Francoſque cupitam
Sero ad vindictam tandem poſt fata vocabit.
Atque aliquis, nam certa fides, de ſemine princeps
Naſcetur tanto, qui carceris vltor auiti
Damna patris virtute ſua reparabit, & vnus,
Cunctandone armi'ne vrgendo? reſtituet rem.
Illum armis opibuſque in regna iuuabit euntem

Arctoi regina maris: veterum immemor illa
Certa paciſcetur iurata fœdera mente,
Fœderibuſque nouis thalami ſpes addet inaneis.
Hactenus, & celeri Proteus ſubit æquora ſaltu.
Macte animi princeps, quemcumq. breui affore certi
Promittunt vates: fortunæ gratulor, & te
Demiſſum in terras lætor, qui tempora culpæ
Fecunda emendes, atque aurea ſecula condas.
Multa quidem circumuenient te dura, trahentque
Præcipitem; tu contra inimicæ cautus ad omneis
Fortunæ caſus, vinces aduerſa ferendo.
Dixit, dein fluuio Scaldis ſe condidit alto.
Nec vanus Scaldis. nouus ecce renaſcitur ordo
Annorum, noua iam redeunt Saturnia regna,
Et reuoluta ſuas repetunt primordia ſedes.
Poſceris en fatis vltro, votiſque piorum,
Inque tua cuncti iaciunt virtute ſalutem,
Per te parta ſalus Cameraci ciuibus, arce
Seruata, & longe ſummoto a mœnibus hoſte.
Nec minus interea pacis te cura remordet:
Martis opus pax alma, tibi pax quæritur armis;
Et ſortis fatique tui eſt; quod iuris aſylum,
Et ſacer antiſtes CVIACIVS, *ille deorum*
Accumbens menſis, & nectaris ebrius hauſtu,
Callidus ambiguæ nodos diſſoluere legis:
Nunc & in vrbe tua, iuuenum plaudente corona,
Aſtrææ teneras præceptis imbuit aureis,
Et Themidis magnæ cunctis arcana recludit.
SCALIGERVM *taceam? cui me modo dicat amicum*

Poſteritas, quid iam ad decus immortale requiram?
Vnus is eſt noſtri Phœbus qui temporis audit
Muſarum aſſenſu, qui nunc potiora relicta
Verona in cunctos iuſto moderamine princeps
Imperia exercet, qui, poſt regnata tot olim
Opida auis atauiſque cis Alpeis tranſque niuoſas,
Nunc deus & Phœbo maior dat iura per orbem,
Muſarumque parens, non iam germanus, habetur.
Ille tuas laudes (quis Phœbo dignior alter?)
Cecropia fretus cithara fidibuſque Latinis
Dicet, & excuſſum procul a ceruicibus hoſtem:
Ille Eriſichthonia cinget tua tempore quercu,
Seruatoſque addet cineis, & ciuica iura,
Totque exanclatos pro libertate labores.
Audiet hoc Tiber, & rerum pulcerrima Roma:
Audiet vmbroſæ Liris qui luſtra Maricæ
Amne ſecat placido Veſtinis auctior vndis:
Hoc Vulturnus & ipſe, Acheloïas hoc quoq. virgo
Audiet, Andinos memor & reuocabit amores.
Hoc Sybaris, Crathiſque, Phalanteuſque Galeſus,
Et nondum Alpheos Arethuſa oblita furores:
Hoc Acragas; cæciſque fremens immane cauernis
Maiores ſolito vomet Aetna Typhoëus igneis,
Et dabit hinc ſignum, & te regna ad auita vocabit:
Ipſe quoque Eridanus taurina fronte ſuperbus
Ad ſonitum exibit, fundoque ciebitur imo
Larius, & fluctu adſurges Benace marino,
Scaligeræque iterum ſummittes cornua genti.
Iamque tibi montes Eporedia pandet apertos,

Acceſſuſque dabit facileis; tibi clauſtra patebunt
Rætica, & Inſubres noſtro ſine ſanguine campi.
Inde triumphatis pubes cum Belgica Iberis
Reddet vota Ioui, & Mattiaco Neptuno:
Centum lanigeras mactabit rite bidenteis,
Tot niuea tauros, niuea ceruice iuuencas.
Ipſe ſacri princeps puraque in veſte ſacerdos
Vittatis ſtabit manibus, lituoque verendus,
Verbaque dictabit, linguiſque fauere iubebit,
Proſperaq. inſpectis canet omina LIPSIVS *extis.*
Ille tibi ludos, ſollemneiſque ordine pompas
Inſtituet, vetereſque pius renouabit honores.
Hic gladiatorum tercentum examine longo
Pugnabunt paria: ille pedes decernet, equoque
Vectus: at hinc paribus concurrent Belgica telis
Eſſeda: tum Mirmillo ferox præeunte laniſta,
Martis & impauidus miſcebit prælia Gallus:
Emeritæque rudis victor vel præmia poſcet,
Aut iugulo gladium accipiet, ſparſoque cruore
Elatus media Libitinam intrabit arena.
Mox dabit & ſcenam, facinuſq. immane Thyeſtæ
Aeſchyleo horrendum bacchatus carmen hiatu,
Tereaque, & furiis actum producet Oreſtem.
Inde humileis pedibus ſoccos aptabit, heroque
Pſeudolus illudens meretricem inducet in ædeis,
Monſtratoque ſenem in caſſeis detrudet auarum.
Iurgia multa Chremes, totis Nicoſtrata tectis
Miſcebit: tandem lætus ſummum exitus actum
Finiet, & feſtis reſonabunt plauſibus ædes,

Coniugijque venus furtiua merebit honorem.
Ipſe modos faciet. Maſsylarumque ferarum
Venatus dabit; aut medio certamina circo
Committet, flexuque rotæ vitare docebit
Puluerearn aurigas metam: ruit impete magno
Deſultor, curritque, & equos alternat eundo.
Naumachiam quoque & ille dabit, roſtriſque carinas
Aduerſis paruum ingenteis propellet in æquor.
Saturnalitiis firmata hæc pace diebus
Auſpice te Belgis ſpectacula LIPSIVS *edet.*
Tu populi pater interea, patriæque vocari
Adſueſces, diſcentque tuo, quoſcunque voluntas,
Aut fortuna olim ſumma ad faſtigia rerum
Euehet, aut genus ad ſolium ſceptrumque vocabit,
Exemplo, innocuas ſeruare a cæde ſecureis,
Mutuo & officio obſequiumque fidemque mereri.
Hæc te fata manent: ſua laudem cuique decuſque
Facta ferant: tu ſolus ames terraque marique
Victor, Iberorum deiectis vndique circum
Præſidiis, dici, libertatiſque ſeuerus
Aſſertor, fraudiſque Aſtræa præſide vindex.
Multa retro numerans iam nunc tibi Gallia debet,
Pluraque debebit, ſi quo moderamine noſtros
Cepiſti poſtac pergas componere motus,
Si ſolo dulcis patriæ tangaris amore,
Nec praui dociles pateant nebulonibus aures,
Flagitiumue putes promiſſam fallere dextram.
His ingens animis oritur decus, omine læto
Communem patriis dum finibus exigis hoſtem,

Dum ciuile manu ſenſim deponere ferrum,
Externoque docet Gallos inſueſcere bello,
Et cælum in terris diuumque mereris honores.
Ignotas alij gentes, alioque calenteis
Sole petent terras, ac duro Marte laceſſent,
Immiſsiſque nouum ſulcabunt claſsibus æquor.
Tu regere imperio Belgas, FRANCISCE, *memento,*
Commiſſoſque æqua populos in pace tueri.
Hic amor, hoc ſtudium: fortunæ cetera cedent;
Hæc propria, hæc nullis peritura eſt gloria ſæclis.
Hæc ego Vaſconica meditabar lentus in vmbra
Ad virideis Duranj ripas, æſtuſque Garumnæ;
Dum modo Burdigalæ reddenda ad iura ſederem;
Nunc, per Aginnates & Lactoratibus Auſcos
Vicinos, repeto aduerſum contrarius amnem.
Et iam Palladiæ ſurgunt tecta alta Toloſæ,
Et Carcaſſo duplex & Narbo Martius imas
Inter qui latitat merſa ceruice paludes.
Inde Agatha ad dextram litus tenet, æquore pendet
Arduus hinc Magalo, Peſenacum & nobile opimis
Splendet oliuetis, tamariſciferæque Biterræ
Per campos caput attollunt ſublime patenteis.
Et quæ Romana nunc maieſtate Nemauſus
Spirat adhuc veteres animos & priſtina iura,
Maior & ipſa ſuis creſcit per damna ruinis,
Quas ego miratus cumulatas clade recenti,
Pollutoſque lacus, & diruta templa Dianæ,
Ingemui, ac mecum tacito ſic corde volutans:
Ignaræ mentes diuum, ac cæleſtium inanes

Quo

Quo ruitis, dixi, aut quæ vos dementia cepit?
Exhauſtum omne nefas. quid inauſum? ah vindice quonã
Imprecer, admiſsis vt præmia digna feratis?
Vos lymphaticus error, & iracunda Diana
Exagitet, pœnaſque nefanda ob facta repoſcat;
Abneget & lucis vmbras, & fontibus vndas:
Icario tellus vt cum torrebitur æſtu,
Corpora victa calore, ſitique enecta fatiſcant.
Sic ego. iamque procul ſenſi poſt terga relictum
Aggeribus Tarnim erectis, Atacemq. bicornem.
Tempora pacali redimitus Erubris oliua
Linquitur, & vitreo ſinuoſus Arauraris amne.
Impoſitamque iugo qui præterlabitur vrbem,
Aequoraque immiſſo ſtagnantia flumine ſulcat:
Et qui tergemini frenatur fornice pontis,
Saxoſoque errans incerta Druentia campo.
Incipit interea miti deſcendere cliuo
Pyrene procul, & montes oſtendere apertos:
Parte alia ſurgunt iuga pinea Cebennarum;
Quæ Petrocorius procul in confinibus orta,
Arua Cadurcorum, fecundaque iugera glaſto
Cingunt, & lato curuant ſinuamine frontem,
Rurſus & in ſe ſe redeunt, Rhodanoq. propinquant:
Velaunoſque ſuis, Gabaloſque, Aruernaque clauſtra,
Rutenoſque truces radicibus amplectuntur.
Et iam pinnatos adtollit Auenio muros,
Exciſoque iacens decliuis Arauſio colle
Macerias, lapidumque ingenteis pandit aceruos,
Partaque de Cimbris Mario ductore tropaa.

Hinc oram legimus, caſtrumque ſubimus Acutj,
Tranſmiſſoque iterum fluuio per inhoſpita ſaxa
Trita ſolo Nomadum, & ſtrigoſis peruia mulis,
Albam prægreſſi ſuperauimus ardua montis:
Tandem Anicj podium feſſi peruenimus; vnde
Mitia per cultu iuga, conualleiſque feraces
(Queis Briuate, & adhuc flammis vltricibus ardens
Cingitur Iſſoria, & lætis ſe collibus infert)
Gergouiæ tumulum conſcendimus, heic vbi priſcæ
Rudera adhuc vrbis ſuperant, & nomen inane.
Sic me muſa vagum per iter comes vſque ſecuta eſt,
Et latrociniis infeſtæ tædia longa
Ferre viæ dedit, & curas lenire moleſtas.
Vt qui penſa trahunt & opus pro tempore debent,
Dum nocturnum vrgent ad lumina ſera laborem,
Alternis ducunt ingratas cantibus horas:
Vtque puer ſiluas inter valleiſque profundas
Obſcurum qui carpit iter ſub nocte ſilenti
Obuia quæque timens; ſeu mota cacumine quercus
Nutauit, tenuiue adſibilat aura ſuſurro:
Seu croceum teretis ſudans de cortice trunci
Pelluxit viſcum procul, excuſſumque refulſit,
Cantat, & horrorem ſpectrorum carmine fallit.
Sic ego ciuilis dum tot monumenta furoris,
Totque æquata ſolo delubra, arceſque ſuperbas
Luſtro oculis, animo hæc ægro, nec lumine ſicco
FRANCISCI *auſpiciis Muſa dictante canebam:*
Quæ victura diu tantum ſortita patronum
Auguror, haud merito auctoris genioue poetæ.

Confiſus, cumque hos mors frigida ſoluerit artus,
Non totus tellure tegar; pars magna ſuperſtes
Noſtri erit, & memori viuet per ſæcula fama.
Atque aliquis longo cineres poſt tempore noſtros
Miratus viridi tumulatos ceſpite, dicet,
Huic quamquam in plumis, fortunaq. inſuper ampla
Contigerit naſci, & ſuperarent gratia, opeſque
Quas teneris hodie cuncti mirantur ab annis:
Maiorum quamuis repetentem exempla ſuorum
Gentis honos, & laudis amor, clarique parentis
Fama recens maiora etiam ſperare iuberet;
Otia Muſarum tamen, ignotoſque receſſus
Maluit ille ſequi, ſcopuloſque aulæque procellas
Effugere, & vanos hominum contemnere fumos:
Maluit ille ederas, & lauros ſponte virenteis,
Quam ſpolia & macra pingueis de pace triumphos.

CIƆ IƆ LXXXII.

RApacium auium, quæ cicurari poſſunt & interdiu volant, aliæ Lorariæ ſeu pinnariæ, Gallis *Oyſeaux de leurre*: aliæ Pugilares, Gallis *Oyſeaux de poing*.

Lorariarum numero ſunt Aquilæ & Falcones: earum de quibus heic, nomina hæc ferè ſunt.

χρυσάετος, Ariſtot. Regia, Plin. Gall.	*Aigle fauue.*		Pag. 10.
μελανάετος, Ariſt. Plin.			11.
Falco Peregrinus,	*Pellerin.*		13.
F. Montanus,			15.
F. Fugitiuus,	*Paſſager.* Ital. *Trauerſo.*		16.
F. Scythicus,	*Tartarot.*		ib.
F. Nobilis,	*Gentil.*		18.
F. Ignobilis,	*Villain.*		ib.
F. Teutonicus,	. . .		16.
F. Lanius,	*Lanier.*		19.
Haliæetus,	*Faulcon marin.*		20.
F. Tuniſeus,	*Tunician.*		22.
Hierax,	*Sacre.*		ib.
Buteo,	*Gerfault.*		23.
F. Pumilus,	*Eſmerillon.*		24.

Pugilares accipitres hi ſunt,

Fringuillarius,	*Eſparuier.*	26.
Aſtur, Iul. Firmico, Gallis	*Autour.*	ib.

Inter accipitres qui τελειότης & κράτιστος τῶν ἱεράκων Ariſtoteli eſt, is Plinio Buteo dicitur. Vnde palam eſt iniuriam maximam fieri maximo & nobiliſſimo accipitri ab iis, qui Bâteonem interpretantur, *Buzart*. Nos nomen principis accipitris tribuimus Falconi, qui inter accipitres & in re accipitraria principem locum tenet.

Capiuntur aut in nido, & Nidularij vocantur, vulgo *Niais*: aut iam adulti, & Ramales dicuntur, vul. *Branchus*: adultiores, antequam tamen primum deplumentur, Horni ſeu hornotini ſunt, vulg. *Sores.* poſtquam iam annum egerunt, & plumas exuerunt: hos anniculos & deplumatos heic appellamus, vulgo *Muez*.

AD AMPLISS. V. PHILIPPVM HVRALTVM CEVERNIVM Franciæ Cancellarium.

SOMNIVM.

NVNQVID & inter tot curas aulæque labores,
Totque ærumnoſi perplexa negotia regni,
Otia noſtra vacat curare, humileiſque Camœnas,
Et feſſam a magnis ad ludicra flectere mentem?
Scire quid in latebris noſter meditetur Apollo;
Accipitrum ſpecies varias cognoſcere & artes;
Qua ratione hominum ad nutus manſueſcere diſcant,
Aegraque Pæoniis ſaneſcant corpora ſuccis?
Nimirum immenſa complecteris omnia mente,
Nec res vel minimæ Phœbeïa lumina fallunt.
Ne tamen hoc a me tu qui potes, exige, vt ille
Partus abortiuo niſu nec Apolline dextro
Editus, in claram te prodeat auſpice lucem.
Hunc ego, cum luſtris vix quatuor adderet vnum
Aetatis breue ver, gratum facturus HVRALTO
Collegæ; neque tam Muſæo percitus æſtro,
Quam precibus, magnoq. viri inflammatus amore,
Tandem poſt longos operiſque viæque labores
Nuper Aquitanis ſedeo dum lentus in oris,
Perduxi ad finem; ſed non hac mente, per ora

Docta virum poſito volitaret vt ille pudore;
Sed tacita chartas inter latitaret in vmbra
Tutus ab inuidiæ ſtimulis linguæque veneno,
Limatumque acris fugeret cenſoris acumen.
Materies intacta quidem, at meliore poëta
Digna ſeges. ſed quid culpam iam deprecor amens?
Cum, ſi quid praue, vt ſunt certe plurima, dictum
Confictumque, negare meum nunc denique poſſim,
Infitiatus opus, quod adhuc ſine nomine circum-
Fertur, & applauſum meruit nihilominus, vt ſunt
Iudicia inſulſe laudantu ſcripta popelli.
Ne tamen interea, dum quid maturius a me
Exeat & dignum te vindice, ruſticus ipſe
Aut minus obſequioſus amici ad iuſſa viderer,
Hos ad te mitto, cui nil non debeo, verſus;
Queis ego de vitæ ratione & fine regendæ
In ſomnis audita cano. vos cetera Muſæ
Dicite, tuque adeo præſens ades ipſe canenti.
Scilicet huc annis deuenimus, obuia in vtrum
Scindat vbi dubium eſt Samij ſe littera callem.
Heic geminæ ante oculos nobis adſtare puellæ
Per ſomnum viſæ nuper, cum Solis in ortu
Blanda quies; ſed non Prodici quas fabula finxit
Alcidem vitæ dubium tenuiſſe viæque.
Siderea hæc facie, atque oculis radiantibus, alto
Fert cælo caput, & ſolido veſtigia firmat
Stans immota ſolo, nullis obnoxia fatis:
Exutoque leuis terreſtri pondere, curas
Exuit humanas, atque immortalia tentat.

Illa ſed humano comptu, vultuque benigno,
Feminea robur forma validoſque lacertos
Diſsimulat, noſtroſque iuuat miſerata labores,
Infra ſe poſitis ſatagens ſuccurrere rebus,
Compellatq. manu prenſum. quid lumina ad illam
Vertis hebes, quæ te fugit, & pernicibus alis
Deſpectas linquit terras, terræque colonos?
Reſpice me, vel ſi potior te cura ſororis
Tangit, at omnino ſpretam ne deſere; tempus
Mox vehet hora ſuum, poſsit maturior ætas
Quo melius verum amoto diſcernere velo,
Et toto ætheriam moliri pectore vitam.
Nunc animus freni impatiens, & ad omnia præceps,
Vernantique obſtant turgentes ſanguine venæ.
Nec fas iuſue ſinunt, vrbem quaſſante procella,
Priuatas operas dum quiſque in publica confert,
Ad puppim commune extra te ſtare periclum.
Tun' patria ſolus viuas ſecurus in vrbe
Mortaleis ſupra ſapiens, communiaque aſsis
Non minimi facias ingratus commoda ciuis?
Tun' lætus, triſtes alij? te nempe beato,
Diuite te infelix plebes mendicet egenſque?
His ego per ſomnum dictis perculſus, & ora,
Ora verecundo paullum ſuccenſa calore
Subueritus Diuæ; Quin te, quocumque vocaris,
Nympha ſequor; quando & priuatũ non ſinis, inquam,
Dulcia cum placidis componere tempora Muſis,
Et tacito ceciniſſe mihi; trans lubrica vitæ
Dux rege inoffenſos tua per veſtigia greſſus.

Nympha refert. macte hoc animo & virtute, tibique
Non natum te crede vni: pars vna parentum eſt,
Altera pars patriæ data, pars data tertia amicis,
Vltima ſola tua eſt: noli fraudare parentes,
Non patriam, tibi qui vitamque laremque dederunt,
Non ipſos, propter quos dulce eſt viuere, amicos,
Sit meus iſte labor, cupidum ne deuius error
Plus iuſto in ſcopulos, & ſaxa Capharea pellat.
Vndique prærupto acceſſu male peruia aditur
Virtus: allatratque illac canis, hac lupus vrget.
Teque adeo totis animi contendere par eſt
Viribus, vt medium ferias; nec ad ambitionem,
Aut ſordeis & auaritiam, turpeiſque rapinas
Fortuna, quæcumque manet, contingat abuti.
Ergo age qui mecum generoſo accenſus amore
Iam propriis felix alienos carpis honores;
Quo patriæ valeas quondam inſeruire ſaluti,
Priuatimque iuuare, vicemque rependere gratus:
Artibus his primum teneros puer imbue mores,
Quæ formas rerum æternas, ſecretaque ab omni
Materie mentis rimantur acumine ſigna;
Metirique docent veris immenſa figuris,
Innumera & numero comprendere corpora certo:
Quo mens paullatim a terra grauibuſque elementis
Stelliferas euecta petat ſublimior arces;
Adſpectuque boni ſummi ſpe plena fruatur,
Et celſum ante Dei ſenſim perducta tribunal
Aeterni iam nunc miretur iudicis ora.
Id licet eximio Fidei ſit munere nobis

Conceſſum,

Conceſſum, tamen à teneris humana colenda eſt
Et ſubigenda annis natura; recalcitrat illa
Quippe ferox, & mole ſua ſe inuoluit, humique
Adfligit ſecum diuinæ particulam auræ.
Multi adeo CHRISTI *nomenque fidemque profeßi*
Mentem iniuratam geſtant, tam nomine tanto
Digni, quam Cereris ſacras contingere vittas
Laïs, in Iſthmiacis notißima fabula ludis.
Hi quamquam in CHRISTI *faciant ſtipendia caſtris,*
Ordine deſerto, litui ſimul intonat horror,
Terga metu nudant; fugiendo denique malunt
Vinci, pugnando pulcram quam vincere pugnam,
Transfugæ & errones. melius, qui prouidus herbas,
Læta prius cultis mandet quam ſemina ſulcis,
Extirpabit agens ipſa ab radice nocenteis.
Tu quoque praua animi dominæ rationis aratro
Inuerte, abque ima plantaria ſtirpe reuelle;
Tum ſemente nouum generoſi pectoris aruum
Conſere. ſic cupidis nullo ſors aſpera caſu
Subſcribet votis, & ſpes ſuperabit auaras.
Nempe via vrbanos ſic eſt ſternenda ad honores,
Vt, ſi non inuitus, at admittare rogatus,
Sollicita ingratos ſubiturus mente labores.
Hoc ita perficies, ſi te ad potiora parabis
Semper, & his olim, quæ cernis & obuia palpas,
Qualiacunque ea ſint, faſceis, ſellæue curules,
Et trabeæ, & quauis maior ceruice corona,
Eſſe putes aliquid præſtantius, & prece crebra
Poſcendum; ſi tu meliorem denique vitam

Artibus his inſtructo animo praeceperis haec, quae
Publica curat, & in rebus conſiſtit agendis,
Et clauo imperij belloque & pace regendo.
Scilicet illa mihi vere reſpublica felix,
In qua non gazae, non veſtis diues & auri,
Verum mentis opum, vitaeque probaeque cataeque
Commiſſas rerum dominus moderatur habenas.
At virtutis inops auidoque famelicus ore
Deuorat exhauſtam confuſis legibus vrbem;
Diuerſiſque trahit ſtudiis pugnantia ſecum
Vota hominum; &, priuata ſibi dum commoda captat,
Inteſtina ciet manifeſta bella ruina.
Nunc praecepta animo, ſapiens quae porticus edit,
Inſinua: ſulcare puta te vaſta profundi
Aequora, dum viuis (crebris pulſata procellis
Vita etenim, & magno turbarum fluctuat aeſtu.)
Si quando in terram datur indulgente celeuſta
Nauigio in tutum ſubducto excurrere, conchas
Per litus legiſſe iuuat bulboſque virenteis,
Dum reditus ſis vſque memor, neque longius erres;
Cumque ſoluturus curua de puppe magiſter
Diſperſos noto ſocios clamore vocabit,
Protinus in nauim redeas ac iuſſa capeſſas,
Ne deſertorem nuda te linquat in acta.
Paruus Hylas comes Alcidae & gratiſſima cura
Miſſus aquatum olim, dum longius errat, in vndis
Obrutus interiit, fruſtra reuocante magiſtro:
Ne fueris heic tu. Sin te maris horror & aeſtus
Ignarum terrent; conuiuia finge parari

Læta viris ac lauta cibis, interque rogatos
Ex alto cenæ patrem dare iura ſodaleis.
Heic niſi quod ſtructor libandum porriget, aut rex
Iuſſerit, ore caue attingas aut indice monſtres;
Quoſque verecundis fineis præſcripſit honeſtas
Moribus, obſerua: ſic tu laudabere comis
Conuiua, & diuum menſis accumbere dignus,
Dignus & ætheriæ recipi in conſortia vitæ.
Hoc deſideriis prudentia Stoica frenum,
Impoſuit. quid nos magni qui nomine CHRISTI
Cenſemur? lex veridico iubet ore profecta
Sic fluxis vitæque bonis fallacibus vti,
Vt longum per iter qui diuerſoria mutant
Sæpius, & nunc his nunc oblectantur & illis,
Ire tamen pergunt ſemper, nulloque morandi
Prætextu interea ceſſant, dum fine beato
Optatas tanquam ſedeis metamque laborum;
Ne loti nimirum olim dulcedine capti
Obliti reditus dominum fruſtrentur Vlyxem,
Nec niſi compedibus repetant ſalſa æquora adacti.
Auctoramento liber, ludoque relicto
Anguſtæ ſalebras vitæ ſuperaſſe videtur
Ille, ſui dominus quiſquis non craſtina curat,
Sed ſatur ac vitæ plenus, vitaque peracta
Viuit adhuc, tempuſque libens videt illud & æquo
Fert animo elabi, quo nil iam pertinet ad ſe
Præteritis lætum mora temporis vlla futuri,
Quo placide inque alta tranquillus pace quieſcat.
Nunc ex aduerſo cruciatus pone ſeueros,

Præcipitique rota affixos Ixionis angueis.
Ille animi cæcus cum iam conuiua Tonantis
Conſiliis inter diuum temerarius eſſet,
Cum nihil ad ſtultum poſſet ſatis eſſe furorem,
Complexus tandem ambiuit Iunonis; at illi
Obiecta illuſit prudens Saturnia nube:
Quæ feta atque hominis de ſemine turgida inani
Depluit in terras noua robora Centaurorum.
Si tectum excutias falſa ſub imagine verum,
Hoc patet exemplo, quid inanibus atque ſuperbis
Proficiat deſideriis humana libido.
Pro ſolido ſimulacra bono dat nempe fruenda,
Somniaque, & variis ſpectra illudentia formis
Externi obiectat cupidis plus mentibus æquo.
Exitus ergo quis eſt? vano ambitioſus honori
Qui bona poſthabuit veros tribuentia honores:
Effigies rerum externas amplexus & vmbram,
Aeternas luit erroris poſt funera pœnas,
Speſq. metuſq inter, dum vixit, pendulus, & nunc
Aeternos rerum patitur miſerabilis orbeis.
Altera nunc peſtis ſupereſt (comes illa prioris,
Fœdior at longe & noſtræ exitioſior vrbi)
Euellenda animo: manicis pediciſque rebelleis,
Imperat illa etenim niſi ſeruit, comprime motus.
Pone modum deſideriis, & mentis in arcem
Inſultus contra hoſtileis te ſiſte receptis
Viribus. heic & opes æternæ, aurumque potentis
Immortale Dei munus; ratione ſed illud
Seruandum cuſtode datum eſt; ne ſcilicet aurum

Ingenuum violet vilis miſtura metalli,
Et prauo tandem admiſtum contaminet vſu:
Impuroque adeo mens corrumpatur ab auro
Diues opum, quas terra creat, cæleſtis at auri
Prorſus inops, quod felicem dat viuere vitam.
Nam vulgo ad fraudeis & crimina falſa, neceſque
Vtimur humanis opibus. viden? ecce precantem
Tendentemq. manus, diuoſque in vota vocantem,
Ante aras Polydorum obtruncat perfidus hoſpes.
Luxuriem reſeca votorum: ni facis, addat
Plura licet fortuna petitis, plenus egebis
Semper; nec, ſi te Pactoli riuus inauret,
Et Tagus, & loto flauus de vellere Phaſis,
Ditior euadas, quod enim ſatis, hoc & abunde eſt.
Effluet heic quicquid menſuram infuderis extra,
Et quaſi diffuſum pertuſa in vaſa peribit.
Pelle ſitim modico, vehemens ne ſæuiat, hauſtu:
Quippe illam augebit potandi largior vſus.
Haud ſecus ac ſalſa rapido ſi Solis in æſtu
Reſtinxiſſe ſitis properes incendia lympha.
Otia, libertatem, æqualeis inter amicos,
Et Muſæ mediocrem vſum, quantumque ſalini
Exigui ſatis eſt, an habenti deeſſe beate
Ad viuendum olim quidquam queat? aſpice iam nunc
Quid velit hæc curuis toties iactata theatris
Vox coniurata pereuntis plebe tyranni:
Hei miſer a caris morior deſertus amicis!
Ille miſer, ſed enim multo infelicior ille,
Qui nullum, turpis cum mors inſtaret, amicam

Aut inimicum habuit, quamuis bis mille quadrigis
Semper iter faceret, Romamque teneret opimam.
At quemnam haud habiti pænuria perdidit auri?
Aut apud antiquos vbinam hæc audita poëtas?
Immo audi potius, puerorum nænia vulgo
Quid moneat; non marmoreis domus alta columnis,
Non ebore e niueo lecti; non ſtragula, gemmæ,
Aſpera non vaſa ex auro, fundique patentes,
Lætaque nequidquam rumpentes horrea meſſes
Exhilarant auidos tam claro lumine viſus:
Quam bene concordeis inter conuictus amicos
Communi menſa florens nec diſpare cultu.
Has tibi opeis, miſeris hæc ſumma viatica rebus
Congere, dum fas eſt, facili dum candida currunt
Penſa manu, & longum non inuidet Atropos æuum.
Nil adeo fidos tibi amicos deerit habenti,
Si quando inſolitos moueat fortuna tumultus.
Aſt homines hodie noſtri, proh tempora! iniqui,
Qui bona conſpiciunt oculis aliena malignis;
Et, quantum accedit dignis, decedere tantum
Atque perire ſibi credunt, clamque arte doloſa
Præripiunt aliis meritum virtute fauorem:
Paucaque polliciti nec amico grata petenti
Promiſsis minus exſoluunt. has ſcilicet artes
Confinxit maleſuadi amor inſanabilis auri.
Dixit: & obſcura fugiens ſe condidit vmbra,
Et me cum ſomno dilecta reliquit imago.
Hæc animum primis ſæpe inculcata ſub annis
Aut præcepta regent, aut non percepta nocebunt.

Tu vero, tuus eſt qui, vir ter maxime, mentis
Candor, amicitiæ pro iure, & rebus agendis
Explorato vſu, pro maieſtate ſedebis
Iudex, & dubiam mecum arbitrabere litem:
Exemplone tuo tecum quoque grandia coner
Vtilis & patriæ cariſque futurus amicis;
An tacitas inter ſiluas inglorius errem
Ipſe mihi felix, noſtræ ſed inutilis vrbi.

HIER. FRACASTORII
ALCON,
ſiue
de cura canum venaticorum.

HIER. FRACASTORII

ALCON,

ſiue

de cura canum venaticorum.

Assiduis nuper feſſus venatibus Alcon,
Falleret æſtiui vt faſtidia longa diei,
Coruini quà ſe nemora excelſiſſima cœlo
Extollunt, viridi dũ captat frigus in vmbra,
Dicitur ad iuuenem ſenior ſic fatus Acaſtum.
Me ſegnes artus, defectaque viribus ætas
Et ſuperare iuga, & latis diſcurrere campis,
Et torquere leues haſtas, & ferre pharetram,
Nate, vetant, denſaq. indagine cingere ſiluas.
Sed te puluereum curſu tranſmittere campum
Ferre æſtum friguſque, leues agitare Moloſſos
Et pinguem ſiluis ad tecta auertere prædam
Nunc decet, ac validam pro me exercere iuuentam.
En arcum pharetramq. tibi, jaculumq. relinquo:
Ne tamen vſque adeo plenæ confide pharetræ,
Vt poſtrema canum interea tibi cura putetur:
Quorum ope veloces poteris præuertere ceruos,
Aut aprum ingentem, aut fuluum ſuperare leonem,

Ergo age, & hæc tecum ſemper mandata reſerua.
Principio vt generoſa canum tibi copia nunquam
Deſit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam ſemine natos,
Sed quos aßidue ſiluæ exercuit altis
Et labor indomitus, ſæuarum & præda ferarum.
Nec vero parui formamque genuſque putaris:
Nam neque ſunt animi, neque mores omnibus ijdem,
Et variæ diuerſa canum dant ſemina gentes.
Nam rabidas ſi forte feras te cura tenebit
Venari, & variis caput obiectare periclis,
Spartana de ſtirpe tibi, de ſtirpe Moloſſa
Quære canes, Libycos illis, acreſq. Britannos
Pannonioſque truces, & amantes prœlia Celtas
Adde, nec Hyrcanos, nec feras ſperne feroces.
Si vero paruos lepores, capreaſque fugaces
Malueris, timidoſque ſequi per deuia ceruos,
Delige Pannonios agiles volucreſque Sicambros.
Quod tibi ſi latebras, abſtruſaque luſtra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi eſt,
Hunc vſum implebit Perſes & Saxogelonus.
At genere ex omni præſertim delige quæ nec
Corpore ſit gracili, nec denſis aſpera villis,
Sed ſublime caput, viuacia lumina & amplam
Oſtentet frontem, atque ingentes oris hiatus:
Cui recta ſurgant aures, cui pinguia terga
Diuidat in caudam deſcendens ſpina reflexam:
Sint armi lati, ſint æque pectora lata:
Lata aluus, quæ ſic coſtis adiungitur imis,

Vt tamen in ſpatium ſenſim ſe colligat arctum:
Vt caua diductis ſuccedant ilia coſtis,
Excipiant ſiccis quas fortia crura lacertis.
Ima pedum parua ſignent veſtigia planta.
Huic ſimilem coniunge marem, cum vere tepenti
Tangit amor genus omne auium, genus omne ferarum.
Bis quinas tamen ante dies accenſus vterque
In venerem, venere abſtineant: ſic plena libido
Acrius exſtimulat, vireſque ad ſemina prabet.
Hinc maior ſoboles, atque inde valentior exit.
Quæ ſimul ac ſe ſe numeroſo protulit ortu,
Selige de multis quos iam præſtare videbis
Pondere: vel ſtipulæ flammis include ſonoris
Ingentem turbam: prolis nam mota periclo
Egregiam ſobolem, melioraque pignora mater
Ocyus eripiet flammis & inertia linquet.
Illi igitur plenis vbi nondum viribus ætas
Acceſſit, paruum curſu conſcendere collem,
Et molli aſſueſcant ſe ſe demittere cliuo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, & facilem percurrere campum
Incipiat, verbiſque viri parere vocantis.
Nulla mora eſt, ipſis creſcent cum viribus anni.
Iam potes hos tuto denſis committere ſiluis:
Perque altos montes per luſtra agitare ferarum.
Nec minus aut apro, aut fuluo obiectare leoni:
Si modo vel capreas, vel dedignabere ceruos.
Immodicis tum parce cibis, tum curſibus illos
Exerce aſſiduis: ac mox ad tecta reuerti,

Vincla pati diſcant: ita demum libera colla,
Cum res ipſa, vſuſque vocat, maiore feruntur
Impete, nec curſum remoratur pigra ſagina.
Hactenus in ſiluis catulos eduximus altis:
Nunc quæ morboſis ſit cura adhibenda, docebo.
Inſomnes cum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte leui: dein Bacchica dona roſarum
Miſce oleo, & rapidis ſimul omnia concoque flammis
Terque die inſerto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat æſtu,
Butyro lapathi ſuccos, Siculique Lyæi
Pocula, contuſumque piper ſimul omnia miſcens
Proſubige: vt certi ſimul ac commixta liquoris
Prætulerint ſpeciem, cupidò canis hauriat ore.
Immodicam ſed forte ſitim dum ſubleuat atro
Fonte canis, lymphæ mala ſi ſucceſſit hirudo,
Cimiceo ſuffire canem nidore licebit:
Aut oleo ptiſanam & ſpumanti melle ſubactam
Incoquere, offenſoque cani præbere vorandam.
At cum tætra lues, clauos dixere, palatum
Afficiet miſere, ſilueſtria ſeſama, necnon
Bacchi acidos latices, & chartam ſume peruſtam,
Atque Ammoniaci fruſtum: dein ſingula in vnum
Confundens, tætræ cauſam ſuperillıne peſtis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Cum tabes, crebræque fluunt à lumine guttæ,
Iam frondes ſacræ myrti ſilueſtris & vuæ
Arenteſque roſas diluto concoque Bacho,

Hiſque affecta leui citus ablue lumina dextra.
Inde oleum, atque oui niueos immitte liquores.
Quod ſi natiuo ſtimulatur coxa dolore,
Lemiulum lapidem, Meditem nomine dicunt,
Vrina ſemel atque iterum demerge recenti:
Cui Bacchi dulces, acidoſque adiunge liquores,
Quaque latet peſtis ſumta circumline penna.
Aſt vbi rupta nouo manabit ſanguine vena,
Tum murem geminum, ac telam pendentis arachnes
Vre foco, cineremq. vndanti impone cruori:
Proderit & ferro candenti tangere vulnus.
Obſtructo vero lotij cum forte meatu
Vexari aſpicies catulum, cerealia dona
Obijce lacte prius ſimæ perſuſa capellæ.
At contra venis ſi quando ſanguis apertis,
Pro facili vrina, terram madefecerit atram,
Conueniet lente feruenti lactis aheno
Mollire, & tenues coriandri immittere ſuccos,
Infractumque piper, laticemque vndantis oliui,
Inſertoque cani paulatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio cum decidit vngula curſu?
Frangere namque iuuat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire ſaliua:
Incipientq. noui ſubcreſcere protinus vngues.
Fit quoq. vt immundo catulus iuguletur ab œſtro:
At tu ſilueſtrem crepitantibus vrere rutam
Ignibus, & fumo pariter mulcere ſalubri
Diſce: dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muſcarum turba moleſta

Impetit vſque adeo, mutilatum appareat alte
Vt caput: ipſe autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus viridiq. putamine tinge.
Quid cum dura canes inter ſe prœlia miſcent
Alter vt alterius percuſſus dente laboret?
Tunc etenim cerui flammæ ſubiecta voraci
Oſſa teres, oleo ſubigens frondentis oliuæ
Vnguinis in morem, ac vulnus letale perungens:
Quamquam etiam poſsis ramenta inducere ferri.
Namque venenifero ſerpentis ſaucius ictu
Quo valeat, ſcit ſponte ſua reperire ſalubre
Gramen, & ipſe ſibi nullo auxiliante mederi.
Senſerit at rabidos vbi morſus, protinus ipſe
Idæam rutæ foliis acrique Lyæo
Iunge picem, læſæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala cum ſcabies miſeros depaſcitur artus
Latrantum, & fœde miſerabile corpus adurit,
Ceruſam, abdomenque bouis, reſinamq. tenacem,
Butyrumque recens viridantibus incoque ſenſim
Lentiſci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc præcipue ſollerti mente cauendum eſt,
Cum rabie accenſus nunc hos nunc impetit illos,
Ipſi infenſus hero, datque inſanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compeſce catena:
Inde roſæ agreſtis radicem pondere ſaxi
Contuſam viui fontis conſperge liquore,
Vt potus ſpeciem lino colata nigranti
Præferat: hac ſumpta reuocari ad priſtina tradunt
Senſa canem, ac poſita rabie miteſcere rurſum.

BI
X